BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
26 A
7

Ad usu F. Venantij à S. M.

~~XVIII B 720~~

~~7 2~~

14—17. c. 36

[illegible]

Digitized by Google

TOTIVS DOCTRINÆ PHILOSOPHICÆ COMPENDIOSA TRACTATIO.

IN QVA

Præcipuæ, ac neceſſariæ Definitiones, Diuiſiones, Materiarumque Philo-ſophicarum Reſolutiones,

SEV

Concluſiones, Interrogationibus, & Reſ-ponſionibus breuiter, & dilucidè exponuntur, ac explicantur.

Iuxtà mentem Doctoris Angelici D. THOMÆ AQVINATIS.

In gratiam ſtudioſæ Iuuentutis Philoſophię Thomiſticæ Candidatæ.



MEDIOLANI, M.DC.XCIII.
Ex Typographia Caroli Ioſephi Quinti.
Superiorum permiſſu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE
PHILOSOPHIA
GENERATIM.

1. QVID eſt PHILOSOPHIA? Etymologicè, eſt AMOR SAPIENTIÆ; ſecundùm rem verò eſt ipſamet Sapientia, ſeu cognitio rerum per altiſſimas cauſas. Poteſt ergo ſic definiri: PHILOSOPHIA eſt rerum diuinarum, humanarumque cognitio, prout naturali lumine cognoſci poſſunt.

2. *Quomodo definitur ab Ariſtotele* 10. *Met.?* COGNITIO rerum vt ſunt, ideſt vt cognoſcuntur per ſuas cauſas, vel ſaltem per ſuos effectus: prima enim cauſa, ſcilicet Deus, non niſi per effectus cognoſci poteſt, quorũ beneficio, eius exiſtentiã inueſtigat Philoſophia.

3. *Quare vocata eſt à quibuſdam mortis meditatio?* Quia per ſtudium ſapientiæ acquiritur huius vitæ, rerumque caducarum contemptus.

4. *Quotuplex eſt Philoſophia?* Ex fine, DVPLEX eſt; ſcilicet ſpeculatiua, & practica.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Speculatiua verſatur in contemplatione rerum; *practica* verò docet quid agendum ſit. Ex obiecto, TRIPLEX eſt, ſcilicet Rationalis, Naturalis, & Moralis. Quia (inquit D.Th., *initio Eth. ad Nicom.*) triplex eſt ordo rerum quæ in Philoſophiæ conſiderationem veniunt; primus eſt, quem ratio non efficit, ſed inſpicit tantùm atque conſiderat, & eſt ordo rerum naturalium; ſecundus eſt ordo rerum, quas format ratio, quæ vocantur entia rationis. Tertius eſt ordo rerum quas ratio exhibet voluntati, vt eas tamquã honeſtas, & bonas proſequatur. Primus pertinet ad Phyſicam & Metaphyſicam; Secundus ad Logicam; Tertius ad Moralem Philoſophiã.

4. *Quis Philoſophiæ Author?* Infudit eam Deus protoparenti noſtro Adamo: congruũ enim erat, vt qui perfectus corpore fuerat conditus, mente non eſſet imperfectus; perfectio autem mentis humanę eſt cognitio rerum omnium, ergo hanc rerum cognitionẽ (quam Philoſophiam nominamus) debuit Deus ei conferre: Deinde primus parens noſter omnes homines docere debebat, ergo ſcientia præditum eſſe neceſſe erat. Is verò poſteris ſuis eam reliquit, ſed iniuria temporum, & hominum negligentia collapſa, reſtituerunt inter alios Zeno, Socrates, Plato, & Ariſtoteles. Cauſa huius reſtitutionis fuit admiratio in primis Philoſophis: Viſo enim effectu naturaliter inquiritur eius cauſa, cuius ignoratio admirationem cauſabat. Hoc autẽ eſt Philoſophari; Ergo ex admira-

miratione cæperunt homines Philoſophari.

6. *Quis Philoſophiæ finis?* FELICITAS: nã ſummũ hominis bonũ, quod naturaliter haberi poteſt,eſt naturas rerum cõtemplari.

7. *Quot fuerunt antiquorum Philoſophorum Sectæ?* Plurimæ fuerunt, ſed præcipuæ ſunt Peripatetica Ariſtotelis: Academica Platonis,Cynica Diogenis: Stoica Zenonis: Pythagorica Pythagorę,Epicuriana Epicuri:Sceptica ſeu Pyrrhonica Pyrrhonis. Ante tempora Pythagoræ ſcientiarum cultores *Sophi*,ideſt ſapientes nominabantur, ſed ipſe modeſtiæ cauſa *Philoſophus*, ideſt ſapientiæ amator vocari voluit, ex quo omnes alij, Philoſophi dicti ſunt.

8. *Cuinam ex his adhæret Schola Thomiſtica?* Peripateticæ; ex quo D. Thomas Aquinas Ariſtotelis famoſus extitit interpres, poſt præceptorem ſuum Albertum Magnum, duo clariſſima Prædicatorij Ordinis lumina.

9. *Quænam pars Philoſophiæ primò eſt addiſcenda?* Logica; quia in tota Philoſophia vtimur diſcurſu, Logica autem docet modum rectè, & ſine errore diſcurrendi. Secundo loco traditur Phyſica, quæ de rebus naturalibus, & ſenſui peruijs diſſerit. Tertio Metaphyſica, quæ contemplatur ipſum Ens in tota ſua latitudine. Tandem vltimo habetur Ethica, quæ quomodo benè viuendum ſit hominem inſtruens, ad felicitatem vſque perducit. Itaque Logica cæteris præſtat neceſſitate; Phyſica iucunditate, Metaphiſica dignitate; Moralis vtilitate.

LOGICA.

CAPVT I.

De Logica generatim.

1 QVid eſt Logica? 1. Sic definitur: LOGICA eſt ars artium, ſcientia ſcientiarum ad omnium methodorum principia viam habens. 2. LOGICA eſt ſcientia ſecundæ intentionis obiectiuæ in rebus, prout ſunt cognitæ, fundamentum habens. 3. LOGICA eſt ſcientia rationalis actuum rationis directiua, prima, & tertia definitio eſt deſcriptiua, ſecunda verò eſſentialis.

2. *Quomodo ſolet vocari Logica ſic definita?* Vocatur artificialis, quia per quaſdam regulas conficit opus rationis, & ita procedit ad modum artis.

3. *Quare datur talis Logica?* Quia ſciri poteſt modus rectè ratiocinandi; ergo debet dari aliqua doctrina tradens illum modum: deindè nunquam natura deficit in neceſſarijs, Logica autem eſt neceſſaria, ergo.

4. *Nonne ſufficit Logica, quæ vocatur naturalis?* Nequaquam, quia LOGICA naturalis eſt facultas quædam à natura indita cuique homini ad ratiocinandum, facultates autem quæ benè & malè poſſunt agere; cuiuſmodi eſt Logica naturalis; indigent aliquo habitu ſup-

ſupperadito, vt ſemper rectè agant. Et ideò præter Logicam naturalem neceſſaria eſt artificialis ad ſemper, & de omnibus rectè ratiocinandum, & ſic ars dicitur perficere naturam.

5. *Nonne poteſt addiſci aliqua ſcientia ſine Logica artificiali?* Poteſt quidem in ſtatu imperfecto, id eſt quantùm ad aliquam euidentiſſimam cõcluſionem lumini naturali proximam; non autem in ſtatu perfecto, id eſt quantùm ad omnes illius ſcientię concluſiones, quia non poteſt ſine arte dirigente cognoſci omnis defectus, vel bonitas omnium concluſionum alicuius ſcientiæ; quarũ plurimę non ſunt notę lumine naturali, ſed colliguntur diſcurſu, & artificio Logicæ: non poteſt autem haberi ſciẽtia in ſtatu perfecto niſi cognoſcatur bonitas omnium cõcluſionum, & vitari poſſint omnes defectus, vt ſic ab aduerſarijs ſe tueatur: Ergo Logica artificialis eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſtatum ſcientiæ perfectum acquirendum; vtilis verò ad imperfectum. At Logica naturalis vtrique ſtatui abſolutè neceſſaria eſt? vt patet.

6. *Quare dicis non requiri ſimpliciter ad ſtatum imperfectum, ſeu eſſe vtilem tantùm, non neceſſariam?* Quia effectus artis poteſt aliquando eſſe ſine arte, vt ſanitas ſine arte Medicinæ: quòd maximè verum eſt de ijs artibus, in quarum materia eſt aliquod principium agens ad effectum artis producendum, vt patet de medicina, nam in corpore infirmo eſt aliquod principium actiuum ad

ſanitatem: ſimiliter in intellectu eſt aliquod principium ad ratiocinandum, ſcilicet Logica naturalis, ergo.

7. *Logica eſt ne ſcientia?* Etiam: quia eſt habitus per demoſtrationem acquiſitus, habet enim multas de ſuo obiecto demonſtrationes V. G. *Omnis modus argumentandi in quo ſeruatur principium* DICI DE OMNI, *vel* DICI DE NVLLO *rectè concludit; atqui modus argumentandi in* BARBARA CELARENT *&c. ſeruat principium* DICI DE OMNI, *vel* DICI DE NVLLO: *ergo modus iſte argumentandi rectè concludit.* Vel, *Omne vnum in multis eſt prædicabile de multis, atqui omne Vniuerſale eſt vnum in multis; ergo eſt prædicabile de multis.* Et multæ aliæ, quæ paſſim occurrunt in tota Logica.

8. *Quare igitur Logica dicitur ars cum ſit ſcientia?* Dicitur Scientia ſimpliciter, quia verè & propriè habet demoſtrationes: Ars verò ſecundùm quid; quia ars vt cõdiuiditur cõtra ſcientiam, eſt recta ratio operũ à nobis factibilium; atqui Logica eſt ſimilitudinariè tantùm recta ratio operũ à nobis factibiliũ; quia opus rationis, quod Logica conſiderat, impropriè tãtum dicitur opus, ſed vera ſpeculatio eſt: eo quod eſt in intellectu; opus verò propriè ſumptũ, vt cõdiſtinguitur à ſpeculatione debet eſſe extra intellectũ: ideſt alterius facultatis ab intellectu. Vnde ait Ariſtoteles; intellectus extenſione fit practicus.

9. *Logica eſt ne ſcientia practica, vel ſpeculatiua?* Simpliciter ſpeculatiua eſt; 1. Quia habet

bet pro fine cognitionem ſui obiecti. 2. Quia principia eius ſunt ſpeculatiua, etiam ea, quę ad Syllogiſmi fabricam ſpectant; v. g. DICI DE OMNI, DICI DE NVLLO, &c. 3. Quia procedit modo ſpeculatiuo, ſcilicet reſoluendo concluſiones vſque ad prima principia indemonſtrabilia. Practica verò dicitur ſecundùm quid; quia habet aliquid ad modum praxis, componendo propoſitiones, & ſyllogiſmos, & ſimilia aliqua faciendo per quaſdam regulas artis: in quo tamen non ſiſtit, ſed tranſit ad ſpeculationem ſui obiecti, ſuæque fabricæ.

10. *Quodnam eſt* OBIECTVM *Logicæ?* Materiale remotū ſunt res omnes: Materiale proximū ſunt operationes mentis. Formale verò eſt SECVNDA INTENTIO OBIECTIVA, vel Ens rationis Logicum.

11. *Quid vocas obiectum alicuius ſcientiæ?* Eſt illud, circa quod occupatur ſcientia, ſeu id quod ei obijcitur. Et illud duplex eſt; vnum quod primò, & per ſe à ſcientia conſideratur; & hoc vocatur obiectum formale: alterum quod non ratione ſui, ſed ratione alterius attingitur à ſcientia. Et iſtud appellatur materiale. Exemplum clarum eſt in obiecto viſus; nam lapis non videtur ratione ſui, ſed ratione coloris, quem habet; color verò ratione ſui videtur: igitur color eſt obiectum formale, lapis obiectum materiale.

12. *Quare res omnes dicuntur obiectum materiale Logicæ?* Quia res omnes mediantibus entibus rationis attinguntur à Logica: nam

Logica de rebus omnibus facit definitiones, diuiſiones, &c.

13. *Quare tres mentis operationes dicuntur obiectum materiale proximum?* Quia conſideratio entis rationis proximè ordinatur circa directionem illarum operationum.

14. *Quare Ens rationis Logicum, ſeu ſecunda intentio obiectiua dicitur obiectum formale Logicæ?* 1. Quia eſt id quod propriè, & præcipuè conſideratur à Logica, nam de eo inſtituuntur omnes tractatus, fiunt definitiones, & diuiſiones, & propriæ paſſiones demonſtrantur: cùm in tota Logica non agatur niſi de genere, ſpeciè, ſyllogiſmo, &c. 2. Quia de entibus realibus nō diſſerit Logica, vt de ſubſtantia, quantitate, &c. niſi ratione éntium rationis, quæ entibus realibus attribuuntur, vt cum dicitur ſubſtātia eſt genus, homo eſt ſubiectum. Idcircò Ens rationis vocatur obiectum attributionis, & adequatum Logicæ. 3. Quia per illud diſtinguitur Logica ab alijs ſcientijs, nam appellatur rationalis ex obiecto. 4. Quia cum obiectum materiale Logicę ſint res omnes, nihil poteſt attribui rebus omnibus, niſi quod formatur à ratione, quod eſt ens rationis: nam de tranſcendentibus, quæ rebus omnibus conueniunt, ſolum agit Metaphyſica: Ergo obiectum attributionis Logicæ non poteſt eſſe aliquid reale, ſed rationis.

15. *Quid eſt* ENS RATIONIS? Eſt quod cùm non ſit in re, accipitur vt ens in ratione: ideſt, quod non eſt in ordine rerum, ſed

ſed fabricatur à ratione, quæ cùm non poſſit facere aliquod ens reale, facit entia quædam diminuta, quæ dicuntur entia rationis, quia habent tantũ eſſe obiectiuè in intellectu, non verò, eſſe ſubſiſtens, aut exiſtens à parte rei.

16. *Quotuplex eſt ens rationis?* Duplex, ſine fundamento, vt chymera; & cum fundamento in re, vt genus; reijcitur ens rationis ſine fundamento.

17. *Quotuplex eſt ens rationis cum fundamento in re?* Triplex: Negatio, Priuatio, & Relatio, NEGATIO eſt carentia formæ in ſubiecto non apto: PRIVATIO eſt carentia formæ in ſubiecto apto: RELATIO verò eſt reſpectus, formatus ab intellectu inter duo, quæ reipſa referuntur: vt relatio Dei ad creaturas, generis ad ſpecies, &c.

18. *Da rationem huius triplicis entis rationis?* Quia non formatur ens rationis cum fundamento in re, niſi vel concipiendo non ens ad modum entis; & ſic eſt Negatio, vel Priuatio: vel concipiendo aliquod ens poſitiuum alio modo, quam in ſe ſit, ideſt referendo illud ad aliud, ad quod reipſa non refertur, & ſic eſt relatio: ergo bona diuiſio.

19. *Quotuplex eſt ens rationis relatiuum, ſeu relatio?* Triplex: Primum quod fundatur in ente reali in ſe ſpectato, vt relatio Creatoris ad creaturam: Secundum eſt, quod fundatur in ipſo vt cognitio; ſeu quod idem eſt, in denominatione extrinſeca petita ab actu intellectus, vt relatio Vniuerſalis reſpectu inferiorum, Generis reſpectu Specierum,

&c. Tertium eſt quod fundatur in ente reali vt volito; cuiuſmodi eſt ſignificatio termini, qui refertur ad rem ſignificatam ex beneplacito hominum. Plura de eſſentia entis rationis in fine Metaphyſicæ.

20. *De quonam illorum agit Logica?* De ſecundo: Quia illud ſolùm inſeruit ad dirigendas mentis operationes: & vocatur ſecunda intentio obiectiua.

21. *Quid eſt* INTENTIO *prout hic debet ſumi?* Eſt illa tendentia intellectus in rem aliquam, quæ etiam ſolet appellari notio. Duplex eſt intentio, ſcilicet formalis & obiectiua: INTENTIO FORMALIS eſt ipſe actus intellectus: OBIECTIVA verò eſt obiectum ab intellectu cognitum. Vtraque duplex eſt ſc. prima & ſecunda. PRIMA INTENTIO FORMALIS eſt conſideratio rei ſecundùm attributa ſua realia. PRIMA INTENTIO OBIECTIVA eſt ipſum obiectũ cognitum ſecundùm obiecta ſua realia. SECVNDA INTENTIO FORMALIS eſt conſideratio rei ſecũdùm attributa rationis. Secunda INTENTIO OBIECTIVA eſt ipſa res cognita ſecundùm aliqua attributa rationis, vt genus, ſpecies, &c. & eſt obiectum formale Logicæ.

22. *Quodnam eſt officium ſecundarum intentionum Logicalium?* Dirigere tres mentis operationes.

23. *Quænã ſunt illę tres mentis operantes?* 1. Vocatur SIMPLEX APPREHENSIO, quæ eſt operatio, per quam intellectus nudè

&

& abſque affirmatione, aut negatione apprehendit res: 2. Dicitur IVDICIVM quo intellectus iudicat rem ita eſſe, vel non eſſe, affirmando ſcilicet, vel negando aliquid de aliquo: 3. denique appellatur DISCVRSVS, & eſt operatio, per quam intellectus deducit vnum ex alio. 1. Igitur vnum affert ſine alio, vt homo. 2. Vnum affert de alio, vt Homo eſt animal. 3. vnum infert ex alio, vt homo eſt animal; ergo viuit. 1. non eſt ſine vnitate. 2. ſine compoſitione vel diuiſione. 3. ſine illatione. 1. habet rerum, ſed non dicit veritatem: 2. Veritatem ſimpliciter vel falſitatem habet. 3. Veritatem vnam ex alia deductam continet.

24. *Per quas ſecundas intentiones dirigitur prima Mentis operatio?* Per Vniuerſalia & Categorias, quia tunc rectè apprehenditur res, quando rectè definitur, & ab alijs diſtinguitur: definitio autem traditur per genus & differentiam, & ſic neceſſe eſt cognoſcere Vniuerſalia: diſtinctio verò habetur per prædicamenta.

25. *Per quas dirigitur ſecunda Mentis operatio?* Per enuntiationem, & quæ ad illam pertinent.

26. *Per quas dirigitur tertia?* Per omnes argumentandi modos, & quæ ad argumentationem pertinent.

27. *Quomodo diuiditur Logica?* 1. ex parte actuum Logicæ diuiditur in docentem, & vtentem: Docens eſt quæ tradit præcepta definiendi, diuidendi, & argumẽtandi: Vtens verò

verò eſt quæ iiſdem præceptis vtitur. 2. ex parte obiecti quod conſiderat. Diuiditur in tres partes, prima agit de intentionibus primam mentis operationem dirigentibus, ſecunda ſecundam, tertia tertiam. 3. ex parte materiæ argumentandi diuiditur Logica in demonſtratiuam topicam, & fallacem, prima agit de demonſtratione: ſecunda de Sylogiſmo probabili, tertia de fallacijs.

28. *Quare Logica Docens, & Vtens eſt vnus, & idem habitus?* Quia habitus dantur ad vincendas difficultates, nulla autem noua eſt difficultas in vſu ſupra doctrinam; ergo ſuperflueret habitus Docentis diſtinctus ab habitu Vtentis. Diſtinguitur ergo tantum Logica Docens ab Vtente, ſicut actus ab actu; non ſicut habitus ab habitu: ſicut actus amoris Dei, & actus amoris proximi non diſtinguntur penès habitum, quia procedunt ab eodem habitu charitatis, ſed diſtinguũtur tantum penès actum.

29. *Quis eſt finis Logicæ?* proximus eſt cognoſcere ſuas ſecundas intentiones, quæ ſunt obiectum eius: remotus verò eſt dirigere tres mentis operationes, quæ rectæ fiunt per cognitionem harum ſecundarum intentionum Logicalium.

30. *Quot libros Logicales habemus ab Ariſtotele?* Septemdecim, ſcilicet vnum Categoriarum cui præfigitur Iſagoge Porphyriana de quinque Vniuerſalibus: duos de interpretatione ſeu Perihermenias: duos priorum Analyticorum; duos poſteriorum Analyti-

ſyticorum: octo Topicorum, & duos Elenchorum. Iſagoge Porphyriana, & liber Prædicamentorum inſeruit, primæ mentis operationi dirigendæ. Libri de interpretatione, ſecundæ: cæteri verò tertiæ.

CAPVT II.

De Iſagoge Porphyriana.

1. Q*Vare præmittitur Iſagoge Porphyriana libro Prædicamentorum?* Vt faciliùs percipiantur Categoriæ, quæ nihil ſunt, quã ſeries Vniuerſalium, quæ hic deſcribuntur.

2. *Quid eſt* VNIVERSALE? Eſt quod plura continet; & ſic opponitur Particulari.

3. *Quotuplex eſt* VNIVERSALE? DVPLEX ſcilicet complexum & ſimplex: complexum eſt quod pluribus vocibus effertur, vt omnis homo eſt animal: Simplex verò eſt quod ſimplici voce pronuntiatur communi pluribus, vt homo. Complexum reijcitur.

4. *Quotuples eſt* VNIVERSALE SIMPLEX? TRIPLEX ſcilicet Vniuerſale in cauſando vt Deus, cęlum: in repræſentando, ſeu ſignificando, vt cometa, ſpeculum: Vniuerſale in eſſendo, ſeu prædicando, quod pluribus ineſt & de pluribus dicitur. Idem VNIVERSALE QVADRVPLEX eſt: Logicum, Phyſicum, Mathematicum, & Metaphyſicum. Logicũ eſt poſterius ſingularibus,

laribus, & vocatur Vniuerſale poſt rem, quia fit ab intellectu poſt conſideratione rei. Vniuerſale Phyſicum, & Mathematicũ eſt ſimul cũ ſingularibus, & vocatur Vniuerſale in re; illud in re ſenſibili, iſtud in intelligibili: quia ſimul exiſtit cũ ſingularibus. Vniuerſale Metaphyſicũ eſt prius ſingularibus, & dicitur Vniuerſale ante rem, quia cõſideratur in ſuis principijs quidditatiuis: Eſt autẽ ante rem, vel natura, vel tẽpore & natura: Vniuerſale ante rem natura tantùm, eſt cum conſideratur in ſuis principijs quidditatiuis tantùm; tẽpore verò ſecundùm quod habet eſſe in mente diuina. Item Vniuerſale, ſecundum Diuum Thomam, DVPLEX eſt, ſcilicet Vniuerſale ſecundum rem & rationem; & vniuerſale ſecundùm rationem tantùm: illud reipſa reperitur in multis, iſtud non niſi per conſideratione intellectus.

5. *De quonam agit hic Porphyrius?* De Vniuerſali Logico, & in eſſendo; ſiue ſit ſecundùm rem, & rationem, ſiue ſecundum rationem tantùm.

5. Quomodo illud definit Ariſtoteles? Hæc ex diuerſis eius Locis deſumitur definitio: VNIVERSALE EST VNVM APTVM INESSE MVLTIS ET PRÆDICARI DE MVLTIS. Auicenna 5. Metaph. c. 1. Sic definit. VNIVERSALE eſt, quod in intellectu nõ eſt impoſſibile prędicari de multis: quę definitio maximè conuenit ſpeciei Angelicæ vniuerſali. Duo autẽ importat Vniuerſale, vnũ pro materiali;

teriali; & eſt ipſa natura realis, quæ dicitur Vniuerſalis V. G. homo, alterũ pro formali, & eſt vniuerſalitas, quæ nihil eſt, quàm forma rationis denominans naturam realẽ.

7. *Dãtur ne aliquæ naturæ reales, quę poſſint ſuſcipere denominationem Vniuerſalis?* Etiam; nam v. g. natura humana eſt realiter in multis, & natura Leonis in multis Leonibus. Deinde Sciẽtiæ ſunt de Vniuerſalibus: ergo dantur ipſæ naturæ Vniuerſales, de quibus ſunt ſcientiæ: Non tamen ſubſiſtunt à parte rei Vniuerſales; quia omne quod exiſtit realiter, ſingulare eſt; ſed ſubſiſtunt in ſingularibus cum quibus realiter identificantur.

8. *Quid eſt vniuerſale Platonicum?* Eſt idea ſeu natura realis ſubſiſtẽs à parte rei vniuerſaliter: ponebat enim Plato naturas ſubſiſtentes ſeparatas à ſingularibus, in quibus tota ſingularium perfectio reperiebatur, quamque ſingularia imitabantur. Sed meritò reijcit illas ideas Ariſtoteles; quia naturæ vniuerſales, sũt de eſsẽtia ſingularium, ergo nõ poſsũt ſubſiſtere ſeparatę à ſingularibus.

9. *Quid eſt vniuerſale Nominalium?* eſt vox communis, ſeu conceptus plura repreſentans: At meritò quoque à cæteris Philoſophis reijcitur; quia non ſolum voces, ſed etiã res ſignificatę per voces verè ſuſcipiunt denominationem vniuerſalis: nec ſcientiæ ſunt de vocibus, ſed de rebus; & tandem quia non eſt verum quod vox homo ſit vox animal, ſicut verum eſt dicere quod homo eſt animal: ergo pręter vocem debet dari ali-

quid

quid in homine de quo verè animal prædicetur; & ſic de reliquis.

10. *Quid eſt Vniuerſale Scoticum?* eſt ipſamet natura formaliter ex natura rei diſtincta à ſingulari in quo eſt: V. G.; natura humana Petri realiter formaliter diſtincta à Petro. Qua opinione poſita, datur Vniuerſale formaliter à parte rei. Sed hoc etiā reijcitur; quia (vt infrà dicetur) impoſſibilis eſt talis diſtinctio realis ex natura rei inter naturam vniuerſalem, & ſingulare in quo eſt.

11. *Quid eſt Vniuerſale Peripateticum?* eſt ipſa natura communis virtualiter tantùm, & ratione ratiocinata, ſeu cum fundamento in re diſtincta à ſingulari in quo eſt. Abſtrahit enim intellectus naturam V. G. hominis, ab illo & illo homine in quibus eſt, & cum quibus realiter identificatur; quæ quidem abſtractio nihil aliud eſt, quàm conſideratio ipſius naturæ, nō conſideratis ſingularibus; quod optimè fieri poteſt, quia ſingularia non ſunt de cōceptu, & quidditate naturæ; benè enim concipio quid ſit homo, abſq; eo quod cogitem de Petro, vel Paulo. Hæc abſtractio vocatur quoque denudatio à materia, non ſimpliciter ab omni materia, ſed à materia ſignata, quia naturæ intelliguntur cum materia, ſed non cum conditionibus materiæ, quæ ſunt hic & nunc & indiuiduantes. Hæc igitur natura ſic denudata à ſuis ſingularibus, conſideratur vt vna apta in eſſe multis, & cōſequenter eſt vniuerſalis.

12. *Datur ne Vniuerſale à parte rei?* Datur qui-

quidem Vniuerſale Metaphyſicum, ſeu natura realis abſtracta à ſingularibus; Sed non vniuerſale Logicum, ſeu natura effecta vniuerſalitate, quæ prouenit tantùm ex conſideratione rationis, prout ſcilicet illa natura in ſtatu abſtractionis conſideratur vt ſuperior ad indiuidua, & conſequenter vt relata ad illa, ſicut vniuerſale ad particulare: & hoc ſecundo modo dicitur Vniuerſale formaliter; primo vero modo Vniuerſale materialiter, & fundamentaliter; quia natura realis eſt fundamentum, & materia formalitatis Vniuerſalis Logici. Primo modo dicit rem, ſecundo modo dicit intentionem. Ratio huius eſt, quia formalitas Vniuerſalis conſiſtit in relatione ſuperioritatis, quam habet ad inferiora, atqui illa relatio eſt rationis, quia extrema non ſunt realiter diſtincta, ſed per intellectum abſtrahentem Naturam ab indiuiduis & comparantem eam ad illa. Sicque in ſolo ſtatu abſtractionis eſt vniuerſalis.

13. *Quotuplex eſt Naturæ ſtatus?* Triplex, ſcilicet contractionis ad indiuidua, Abſtractionis ab indiuiduis, & ſtatus naturæ ſecundùm ſe conſideratæ, id eſt ſecundùm attributa ſua eſſentialia; in primo ſtatu eſt omninò ſingularis, in tertio neque ſingularis, neque vniuerſalis formaliter, ſed tantùm negatiuè communis, id eſt nulli appropriata ſuppoſito, & ſic materialiter, & fundamentaliter tantùm vniuerſalis: in ſecundo verò ſtatu eſt formaliter vniuerſalis (addita comparatione.)

14. *Per quem actum intellectus fit Natura forma-*

formaliter vniuerſalis? per comparationem ſimplicē: nam QVADRVPLEX eſt actus intellectus; primus dicitur Abſtractio intellectus Agentis, quo denudat Naturam à cōditionibus indiuiduantibus; ſecūdus eſt Pręciſio intellectus patientis, quo præcisè cognoſcit QVOD QVID EST rei, ſeu Naturam ſecundùm attributa ſua eſſentialia: tertius Comparatio ſimplex, quo reflectit ſupra ſe, & videt Naturam illam in tali ſtatu referibilem ad inferiora, à quibus ſeparata eſt, ſicque ad illam eam comparat: quartus tandē eſt Comparatio compoſita, quo actualiter vnum cum alio componit per enunciationem. Per primum actum, intellectus nihil cognoſcit; per ſecundum cognoſcit tantùm naturam ſecundum attributa realia, & tunc eſt Vniuerſale Metaphyſicum; per tertium cognoſcit intellectus naturam alio modo quàm in ſe ſit, nempe quia comparat eam ad inferiora, & tunc reuera fit Vniuerſale Logicum, quartus enim ſupponit Vniuerſale formatum, quia actualis prædicatio, ſupponit prædicabilitatem, & prędicabilitas Vniuerſalitatem, tanquam proprietas eſſentiam.

15. *Quomodo Vniuerſale eſt Vnum?* Nomine & ratione, ſeu eſſentiā vnicā vnico vocabulo exprimens. Sic reijciuntur Æquiuoca & Analoga, quę nō ſunt Vnū niſi nomine ſolū.

16. *Quid eſt Vnum?* Eſt ENS indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio.

17. *Quid eſt Diuiſio?* Eſt SEPARATIO vnius ab alio. Et duplex eſt materialis & forma-

formalis: materialis eſt quæ fit penes principia materialia, ſeu indiuidualia, ſic Petrus & Paulus materialiter diuiduntur: formalis verò fit penes principia formalia & eſſentialia, ſic homo diuiditur à bruto formaliter.

18. *Quid eſt Vnitas?* Eſt ENTITAS carens aliqua diuiſione; vt ſi careat diuiſione materiali dicitur Vnitas materialis; ſi careat diuiſione formali, dicitur Vnitas formalis. Duo igitur importat Vnitas, ſcilicet entitatem poſitiuam, & negationem diuiſionis. Vnitas materialis appellatur numerica: formalis verò eſt Generica, vel Specifica: omnium maxima eſt Numerica, quia nullam admittit diuiſionem; omnium minima eſt Generica, quia admittit diuiſionem Numericam, & Specificam: media eſt Specifica, quę ſolùm admittit diuiſionem numericam.

19. *Quam ex his Vnitatibus habet Vniuerſale?* Non poteſt habere Numericam, quia repugnat Vniuerſale eſſe Singulare; ſed duas alias admittit ſcilicet Genericã & Specificã.

20. *Natura habet ne Vnitatem poſitiuè communem inferioribus?* Nullam habet reipſa, ſed tot habet reipſa vnitates quot ſunt indiuidua: V. G. tot humanitates ſunt, quot homines; quia natura reipſa eſt tantùm in ſtatu cõtractionis, cũ exiſtat ſolummodo in ſingularibus, cum igitur vnumquodque ſingulare habet ſuam vnitatem reipſa diſtinctam ab altera; tot erunt Naturæ Vnitates reipſa quot indiuidua. At in ſtatu Naturæ ſecundum ſe, datur Naturæ Vnitas negatiuè cõmunis.

Tan-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Tandem ſi conſideretur in ſtatu abractionis & comparationis ad indiuidua, habet Natura Vnitatem poſitiuè communem; non rei pſa, ſed per operationem intellectus conſiderantis eam, ac ſi eſſet reipſa vna in multis, & tunc vocat illam vniuerſalem formaliter, V. G. genus, ſpeciem, &c. Quæ ſunt nomina ſecundæ intentionis.

21. *Quomodo diſtinguūtur illæ tres Vnitates Numerica, ſpecifica, & Generica in Petro V. G.?* Diſtinguuntur tantùm ratione, & virtualiter: nam licet Petrus ſit animal, homo, hic homo; non tamen diſtinguitur realiter animal ab homine, ſeu gradus genericus, à ſpecifico, & indiuiduali; quia per eandem entitatem, & per eandem formam, Petrus habet omnes illos gradus, & ita inter ſe identificantur, ſolaque ratione diſtinguuntur.

22. *Quid eſt* DISTINCTIO? Eſt quo vnum non dicitur eſſe aliud DVPLEX eſt, realis & rationis; prima eſt ante opus intellectus, ſecunda fit per operationem intellectus. Prima duplex eſt, Negatiua & poſitiua: Negatiua Verſatur inter ens & non ens, vt inter Petrum & cęcitatem, vel inter duo non entia, vt inter cæcitatem & ſurditatem; diciturque realis, nō quòd extrema ſint realia, ſed quòd inter illa verificatur realiter propoſitio negatiua, V. G. ſurditas non eſt cæcitas, &c. poſitiua verò verſatur inter duo entia.

23. *Quotuplex eſt realis diſtinctio poſitiua?* TRIPLEX rei: à re; rei à modo; & modi à modo.

24. *Quo-*

24. *Quotuplex eſt Diſtinctio rationis?* DVPLEX Sc. Rationis ratiocinantis, vt cùm diſtinguitur idem à ſeipſo; Petrus & hic homo; & fit ſine fundamento in re: altera eſt Rationis ratiocinatæ, & cum fundamento in re,vt cùm diſtinguitur animal ab homine in Petro;eſt enim fundamentum talis diſtinctionis, quia inuenitur aliquando animal ſine homine, & conſequenter debet concipi animal ſine homine: concipere autem vnum ſine alio eſt diſtinguere: Ergo.

25. *Quamnam aliam diſtinctionem inuenit Scotus?* Mediam inuenit,quam vocat diſtinctionem formalem ex natura rei: ſed meritò reijcitur, quia cùm tot ſint genera diſtinctionis, quot Vnitatis (opponuntur enim priuatiuè Vnitas & Diſtinctio) & duo ſint tantùm genera Vnitatis ſcilicet: realis & rationis; eò quod ens & vnum conuertũtur, conſtat autem non dari aliud ens, quàm reale & rationis: ergo debent tantùm eſſe duo genera diſtinctionis ſcilicet realis & rationis, ſicque perit illa media ex natura rei.

26. *Quænam ſunt proprietates Vniuerſalis?* Duæ ſunt ſcilicet ENVNTIABILITAS & PERPETVITAS: Prima ratione formæ, ſecunda ratione materiæ conuenit.

27. *Quid eſt enuntiabilitas, ſeu prædicabilitas?* Eſt Naturæ habilitas vt dicatur de pluribus, in quibus eſt; vt genus dicitur de ſpeciebus, & ſpecies de indiuiduis.

28. *Quid eſt perpetuitas?* Eſt quo aliquid ſemper eſſe dicitur. Dupliciter autem poteſt aliquid

aliquid ſemper eſſe, ſcilicet *poſitiuè* & *Negatiuè*, tùm ſecundùm Eſſe Eſſentiæ, quàm ſecundùm eſſe exiſtentiæ.

29. *Quomodo Vniuerſalia dicuntur perpetua?* Non ſunt perpetua poſitiuè quantùm ad eſſentiam, nec quantùm ad exiſtentiam: quia aliquando nihil fuerunt extra Deum, nempè ante mundi creationem; ſed dicuntur perpetua negatiuè, quantùm ad eſſentiam; quia eorum eſſentia nullum habet principium corruptionis; generatio enim & corruptio fiunt in ſingularibus. At quantùm ad exiſtentiam nullo modo ſunt perpetua: ſed pereuntibus ſingularibus, pereunt & ipſa: ſicut ait Ariſt. *Deſtructis primis ſubſtantijs, impoſſibile eſt aliquid aliorum remanere*. Dicuntur tamen remanere tripliciter. 1. in ſuis cauſis, 2. in intellectu Angelico, vel humano, 3. in ideis diuinis.

30. *Quod ſunt Vniuerſalia?* Sunt quinque, ſcilicet GENVS, SPECIES, DIFFERENTIA, PROPRIVM, ACCIDENS: Quia ſunt quinq; modi eſſendi in multis, ſcilicet, vt tota eſſentia, & eſt Species: vt pars perfectibilis, & eſt genus: vt pars perficiens, & eſt Differentia: vt aliquid profluens ab eſſentia, & eſt Proprium: & vt aliquid cauſatum à principijs extrinſecis, & eſt Accidens. Non poſsũt eſſe plures vel pauciores modi eſſendi in multis: Ergo. Genus prædicatur in *Quid incompletè*, id eſt nomine ſubſtantiuo dicente partem vnam eſſentiæ, vt homo eſt animal: Species prædicatur in *Quid completè*, id eſt nomi-

omine ſubſtantiuo dicente totam rei eſſen-
iam,vt Petrus eſt homo: Differentia prædi-
atur in *Quale quid*, id eſt nomine adiectiuo
icente partem alteram eſſentiæ ſc. forma-
em, vt Petrus eſt rationalis: Proprium
rædicatur in *Quale neceſſariò*, id eſt nomi-
e adiectiuo dicente proprietatem rei, vt Pe-
rus eſt riſibilis: Tandem Accidens prædi-
atur in *Quale contingenter*, id eſt nomine
liectiuo dicente aliquod accidens commu-
e rei, vt Petrus eſt albus.

De genere.

1. Q*Votupliciter ſumitur Genus?* Tripliciter, 1. Pro generationis alicuius principio; 2. Pro multitudine orum, qui inter ſe ſunt cognatione conncti. 3. Pro eo quod dicitur genus Philoſohorum, ſeu Logicum, ſub quo ſpecies poitur, & ſic definitur. GENVS EST ID, QVOD DE PLVRIBVS SPECIE DIFFERENTIBVS IN QVÆSTIONE QVID EST ENVNCIATVR; vel GENVS EST VNVM APTVM INESSE MVLTIS TANQVAM PARS, AVT GRADVS POTENTIALIS. 1. Definiio eſt deſcriptiua, 2. eſſentialis.

32. *Quid definitur hac definitione generis?* Non definitur ipſa natura generica, nec aggregatum ex intentione generis, & generica atura; ſed ipſa ſecunda intentio Generis in oncreto ſumpta, hoc eſt connotando ſubieum; quia intentio illa eſt id, cui conuenit

eſſentialiter eſſe vnum in multis ſpecie differentibus.

33. *Quomodo enuntiatur Genus de inferioribus, an vt totum, Vel vt pars?* enunciatur vt totum ſecundùm modum ſignificandi, licet ex re ſignificata ſit tantùm pars, ſi præcisè ſumatur: nam ſecundùm rem, Genus non eſt pars realiter diſtincta à differentia, ſed ratione tantùm.

34. *Quotuplex eſt TOTVM?* DVPLEX; Actuale, & potentiale: actuale eſt, quod actu continet partes ſuas, vt homo continet actu animal, & rationale: Totum potentiale eſt, quod in potentia continet partes ſuas, vt animal in potentia continet rationale, & irrationale. Primum vocatur à Proclo Totum ex partibus, ſecundum Totum in partibus.

35. *Quare Genus enunciatur, vt totum ex modo ſignificandi?* Quia in prædicatione formali requiritur, vt prædicatum contineat in potentia totum, quod ſubiectum continet actu; Genus autem, ſumptum vt pars; non continet in potentia totum, quod actu includitur in ſpecie, quia non continet differentiam, quam potiùs excludit tanquam compartem ſuam: Ergo.

36. *Quomodo vocatur compoſitio ex genere & differentia?* Vocatur Logicalis, in quantùm fit per intellectum; vocatur etiam Metaphyſicalis, in quantùm gradus illi ex quibus fit, ſunt reales, & ad Metaphycam pertinentes, non tamen realiter diſtincti.

37. *Includitne genus actu differentias ſui diuiſiuas*

uiſuas V. G. animal, rationale, & irrationale? Non continet actu, ſed in potentia: quia animal pręcisè, & actu continet tantùm gradum ſentiendi.

38. *Prædicatur nè formaliter Genus de differentijs, dicendo V. G. rationale eſt animal?* Non prædicatur formaliter, ſed materialiter tantùm: Vnde prædicta propoſitio facit hunc ſenſum; id quod eſt rationale eſt animal: quia formaliter, & præcisè loquendo rationale excludit animal; eo quod pars excludit ſuam compartem.

39. *Saluaturne genus in vnica ſpecie?* Genus Phyſicè ſumptum ſaluatur in vnica ſpecie, quia verè, & realiter illa ſpecies habet naturam, ſeu gradum genericum: ſumptum Logicè id eſt pro ſecunda intentione in concreto, non conſeruatur in vnica ſpecie, quia vniuerſale formaliter ſumptum eſt prædicabile de multis: ſumptum denique Metaphyſicè, id eſt pro illo gradu potentiali & contrahibili per differentias, non ſaluatur in vnica ſpecie, quia in illa non habet totam ſuam perfectionem eſſentialem, quam poteſt habere: Ergo vt habeat totam perfectionem requirit plures ſpecies.

40. *Quomodo intelligitur hoc vulgare axioma Genus ſumitur à materia, & Differentia à forma?* Sic intelligitur, quòd pro Genere aſſignatur gradus aliquis limitabilis, ideſt pluribus communis, & pro Differentia gradus limitans, reique proprijſſimè cõueniens, ſicut animal dicitur genus hominis, & ratio-

nale Differentia: cuius ratio eſt, quia materia eſt quid potentiale,& determinabile, forma verò quid actuale, & determinans. Vel breuiùs Genus ſumitur à materia Metaphyca,non Phyſica;& ſimiliter Differentia.

41. *Quomodo diuiditur Genus?* 1. Diuiditur in generaliſſimum, & ſubalternum: primum eſt, quod nullum habet ſupra ſe, vt Subſtantia, Quantitas: alterum verò quod habet aliud ſupra ſe,vt corpus Viuens: quod vocatur etiam Genus intermedium, & ſpecies ſubalterna: Genus quidem reſpectu inferioris, Species verò reſpectu ſuperioris. 2. Diuiditur in Genus propriè, & impropriè ſumptum: primum eſt, quod vniuocè prædicatur de pluribus, &c. impropriè verò eſt, quod communitate ſua multa ambit, & analogicè tantùm prædicatur, vt ens. 3. In genus nominatum & innominatum. 4. In genus proximum & remotum.

De Specie.

42. QVID eſt SPECIES? *Definitur à Porphyrio*, ID,QVOD DE PLVRIBVS SOLO NVMERO DIFFERENTIBVS IN QVÆSTIONE QVID EST ENVNCIATVR: vel id,quod immediatè ſub genere ponitur.Et de quo genus in *Quid*. prædicatur: prima definitio conuenit ſpeciei per relationem ad inferius, ſecunda per relationem ad ſuperius: prima ſoli ſpecie infimæ conuenit: ſecunda ſubalternæ, & infimæ.

43. *Quare dicitur immediatè ſubijci generi?* Quia indiuidua generi quoque ſubijciuntur, ſed mediante ſpecie.

44. *Per quam relationem ſpecies dicitur vniuerſalis?* Per relationem ad inferiora, non autem per ſubiectionem ad genus; quia de ratione Vniuerſalis eſt, eſſe Vnum in multis, de quibus dicitur: Ideo ſpecies vt ſubijcibilis non eſt formaliter Vniuerſalis, ſed vt reſpicit inferiora, de quibus dicitur: licet eadem ſpecies ſit ſubijcibilis, & vniuerſalis.

45. *Omnis ſpecies ſubijcibilis eſt vniuerſalis?* Etiam; quia eſt ſimul prædicabilis de multis.

46. *Sed ſi illa multa non eſſent poſſibilia, vt contingit in ſpecie Angelica, quæ ex ſententia D. Thomæ poteſt tantùm habere vnicum indiuiduum, eſſetne vniuerſalis?* etiam: quia eodem modo natura illa V. G. Michaelis abſtrahitur per intellectum ab vno, ac à multis, & abſtracta conſideratur vt indifferens ad multa; & ideò Logicè loquendo æquè induit rationem prædicabilis, ac ſi eſſet abſtracta à multis: Vndè dicuntur in ſpecie Angelica plura indiuidua eſſe impoſſibilia Phyſicè, non Logicè; ſeu impoſſibilia ſecundùm rem, non ſecundùm conſiderationem rationis, & modum noſtrum concipiendi.

47. *Poteſtne ſpecies ſaluari in vnico indiuiduo?* Logicè ſumpta non poteſt, Phyſicè ſumpta poteſt, ob eaſdem rationes ac de genere dictum eſt: Metaphyſicè verò ſumpta etiam poteſt ſaluari in vnico indiuiduo: & in

hoc differt à genere; quia habet totam ſuam perfectionem eſſentialem in vnico indiuiduo; nam differentia indiuidualis, quæ additur ſupra ſpeciem, eſt extra eſſentiam ſpeciei, quæ in ſe eſt quoddam totum completum, & perfectum actu. Hic apponit Porphyrius ſchema generum, & ſpecierum, cum differentijs collateralibus, quod vulgò vocatur arbor Porphyriana.

AR-

ARBOR PORPHYRIANA.

Species	Genera	Species
	Subſtantia.	
Materialis.		*Immaterialis.*
	Corpus.	
Animatum.		*Inanimatum.*
	Viuens.	
Senſibile.		*Inſenſibile.*
	Animal.	
Rationale.		*Irrationale.*
	Homo.	
	Petrus, hic Homo.	

In hoc Schemate fit deſcenſus à ſupremo genere ſc. Subſtantia, ad infimam Speciem nempè hominem, & indiuidua: & ſimiliter aſcenſus ab indiuiduis ad ſupremum genus; cùm hac differentia, quod aſcenſus fit per diuiſionem vnius in plura, nempè generis in plures ſpecies: aſcenſus verò per collectionem plurimum ad vnum, vt plures ſpecies animalium, in vnum genus animalis.

De indiuiduo.

48. Q*Votupliciter ſumitur* INDIVIDVVM? Dupliciter: ſcilicet Primò intentionaliter, & ſecundò intentionaliter; Primò intentionaliter eſt quælibet natura ſingularis, ſiue ſit ſubſtantialis, ſiue accidentalis, vt hic homo, hæc albedo. Secundò intentionaliter acceptum eſt eadem natura ſingularis, quatenus media intellectus operatione dicit relationem ſubijcibilitatis ad ſpeciem, vel prædicabilitatis ad ſe ipſam, vt Petrus eſt hic homo, Chriſtus eſt Filius Virginis Mariæ.

49. *Quomodo definitur primò intentionaliter?* Sic: INDIVIDVVM eſt, quod conſtat ijs proprietatibus, quarum collectio nunquàm in alio eſt eadem: & hæ ſunt ſeptem, hoc verſu comprehenſæ.

Forma, Figura, Locus, Stirps, Nomen, Patria, Tempus.

Definitur etiam a D. Thoma 1. *p. q.* 29. *ar.* 4. indiuiduum eſt, quod non poteſt amplius diuidi, vel id quod eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio vltima diuiſione.

50. *Quo-*

50. *Quomodo definitur ſecundò intentionaliter?* Sic: INDIVIDVVM eſt, quod ponitur ſub ſpecie, & ſpecies ſub genere: vel, eſt id quod de vno ſolo prædicatur.

51. *Quibus nominibus exprimitur indiuiduum primò intentionaliter ſumptum?* His; ſcilicet hypoſtaſis, prima ſubſtantia, perſona, hic homo, filius Mariæ, Ieſus. Secundò intentionaliter verò his: indiuiduum, ſingulare, particulare, ſuppoſitum.

52. *Quotuplex eſt indiuiduum?* Duplex: Vagum, & determinatum: Vagum, vt aliquis homo, determinatum, vt hic homo, Petrus: vel indiuiduum in actu ſignato, ſeu vt ſic, & indiuiduum in actu exercito.

De differentia.

53. QVid eſt DIFFERENTIA? In communi eſt FORMA faciens differrè. Triplex eſt; communis, propria, & propriiſſima. Prima facit differrè per accidens, V. G. hominem album à nigro: ſecunda facit differre per ſe ſecundò. V. G. animal riſibile ab hinnibili: Tertia facit differre per ſe primò, ſeu eſſentialiter V. G. animal rationale ab irrationali. Prima pertinet ad quintum prædicabile, ſecunda ad quartum, tertia ad iſtud tertium.

54. *Quotuplex eſt munus differentiæ?* Duplex; diuidere Genus, & conſtituere ſpeciem.

55. *Quomodo definitur vt eſt tertium vniuerſale?* Sic definitur: DIFFERENTIA eſt id, quod prædicatur de pluribus in *quale quid*:

ideò ſola differentia propriiſſima ad iſtud tertium Prędicabile pertinet, quia prædicatur eſſentialiter, quod eſt prædicari in *quid*.

56. *Conſtituitne differentia tertium prędicabile per reſpectum ad ſpeciem, quam conſtituit, an per reſpectum ad inferiora ſpeciei, aut etiam per reſpectũ ad inferiora propria?* Per reſpectum ad inferiora ſpeciei V.G. rationale reſpectu Petri & Pauli quia ſolum de inferioribus ſpeciei prædicatur de pluribus in *quale quid*: de ſpecie autem prædicatur quidem in *quale quid*: ſed non de pluribus, ergo non vt aliquid Vniuerſale; & ſuperius, ſed vt æquale; & ita eſt potius prædicatum, quam prædicabile; vt cum dicitur homo eſt rationalis. Tandem per reſpectum ad inferiora propria, reducitur ad ſecundum prædicabile, quia prædicatur in *quid*, vt cum dicitur, hoc rationale eſt rationale.

57. *Differentiæ ſuperiores includunturne in inferioribus?* Non, quia Differentiæ inferiores formaliter non includunt genus, V. G. rationale formaliter non includit animal, aliàs in definitione hominis bis poneretur animal; in genere tamen includitur differentia ſuperior, V. G. ſenſibile includitur in animali, vtpotè conſtitutiuum eius: ergo differentia ſuperior non poteſt includi in inferiori formaliter, id eſt ſecundùm id, quod formaliter, & præcisè importat; ſed materialiter tantùm, quia id quod eſt rationale, eſt etiam ſenſibile.

58. *Differentia eſtne perfectior genere?* Etiã,

quia

quia differentia dicit actum, genus verò potentiam: Genus enim eſt perfectibile per vlteriores differentias, ſicut materia per formas ſibi aduenientes. Eſt quoque perfectior ſpecie, cuius eſt differentia, vt loquitur D. Thom. opuſc. c. 4. id eſt actualior; V. G. ſenſibile, animal: quia animal dicitur ab anima ſenſibili, ſenſibile verò dicitur à ſenſibilitate: & quia anima ſe habet ad ſenſibilitatem vt potentia ad actum, ideò differentia magis eſt actualis, quàm id cuius eſt differentia, licet tantùm ambiant ambo.

De proprio.

59. QVotupliciter ſumitur Proprium? Dupliciter; nempè primò intentionaliter, & ſecundò intentionaliter: Primo modo ſumptũ, Quadruplex eſt, PRIMVM eſt, quod conuenit ſoli ſpeciei, ſed non omni indiuiduo, vt eſſe Logicum. SECVNDVM, quod conuenit omni indiuiduo, ſed non ſoli ſpeciei, vt homini eſſe bipedem. TERTIVM, quod conuenit ſoli ſpeciei, & omni indiuiduo, ſed non ſemper, vt hominẽ caneſcere. QVARTVM, quod maximẽ proprium dicitur, eſt quod ſoli ſpeciei, omni indiuiduo, & ſemper conuenit, vt hominem eſſe riſibilem. Solum proprium quarto modo conſtituit hoc prædicabile: quia ſolùm prædicatur in *quale neceſſarium*: Definitur autem ſic: PROPRIVM eſt, quod neceſſariò conſequitur ad aliquam naturam, & conuenit ei accidentariò, ſed conuerſim.

Altero verò modo ſumptum ſc. 2. Intentionaliter ſic definitur: PROPRIVM eſt, quod enunciatur de pluribus in quæſtione quale eſt accidentariè, & neceſſariò.

60. *Per quem reſpectum eſt vniuerſale?* Per reſpectum ad inferiora ſpeciei, cuius eſt proprium, vt Petrus eſt riſibilis: Vnde dicitur quidem proprium reſpectu ſpeciei, ſed non proprium vniuerſale, & prædicatum, non prædicabile.

61. *Quomodo proprium diſtinguitur ab accidenti?* In hoc, quod proprium neceſſariò conuenit tam ſpeciei, quam indiuiduis; Accidens nec ſpeciei, nec indiuiduis neceſſariò conuenit, etſi aliquod ſit ab indiuiduis inſeparabile. Deinde proprium prius dicitur de ſpecie, quam de indiuiduis, quia ſequitur ad formam ſpecificam: Accidens verò prius reſpicit indiuidua, quam ſpeciem, quia conuenit tantùm ratione inhærentiæ in ſubiecto: inhærentia autem per priùs eſt in indiuiduis, quàm in ſpecie.

De Accidente.

62. QVotuplex eſt ACCIDENS? Duplex, Phyſicum, & Logicum. Phyſicum, (ſub quo comprehenditur Metaphyſicum) eſt illud, quod diſtinguitur contra ſubſtantiam, diuiditurque in nouem genera: & hoc modo quidquid non eſt ſubſtantia eſt accidens: Logicũ verò eſt, quod opponitur eſſentiæ, ſiuè reipſa ſit ſubſtantia, ſiuè accidens,

tam

tam rei, quam rationis: & hoc modo quidquid non eſt eſſentiale, eſt accidentale, vt aurum eſt accidens Statuæ. Phyſicum vocatur Accidens prædicamentale; logicum accidens prædicabile.

63. *Quotupliciter ſumitur Accidens Logicum?* Dupliciter, nempè 1. Intentionaliter, & 2. Intentionaliter: 1. Modo definitur ſic: ACCIDENS eſt id, quod adeſt, & abeſt à ſubiecto præter ſubiecti corruptionem; id eſt conuenit ſubiecto ſine diſſolutione naturæ illius, ſi intelligatur abeſſe.

2. Modo definitur ſic: ACCIDENS eſt id, quod eſt in pluribus, & enunciatur de illis in quæſtione *quale eſt contingenter*. Eſt Vniuerſale tantum reſpectu inferiorum, quæ denominat accidentariè, vt Petrus eſt albus, Petrus eſt indiuiduum, Animal eſt genus, &c.

CAPVT III.

De Categorijs Ariſtotelis.

1. QVid eſt CATEGORIA? Eſt ſeries prædicatorum ſuperiorum, & inferiorum ſecundùm debitam ſubiectionem, & prædicationem: vndè dicitur PRÆDICAMENTVM à Latinis.

2. *Quænam eſt differentia inter Prędicabile, Prędicatum, & Prędicamentũ?* PRÆDICABILE

BILE eſt illa natura apta dici de multis; quæ aptitudo prouenit ex vniuerſalitate, & ſuperioritate ad illa: PRÆDICATVM verò eſt id, quod dicitur de altero, vndè prædicabile fit prædicatum, quando de altero dicitur in propoſitione. PRÆDICAMENTVM autem eſt ordinatio illorũ attributorum, quorũ vnum dicitur de altero: vt quia homo dicitur de Petro, & animal de homine, &c. Ideo ordinatio Petri, hominis, animalis, &c. dicitur prædicamentum ſubſtantiæ; & ſic de reliquis, Quantitate, Qualitate, &c.

3. *Quotupliciter ſumitur Categoria?* Dupliciter, materialiter, & formaliter: primo modo ſunt res ipſæ quæ ponuntur in Categoria; ſecundo modo eſt ipſa ordinatio rerum, quæ dicuntur Genera, Species, & indiuidua: primo modo Categoria eſt aliquid reale, ſecundo modo eſt aliquid rationis. Primo modo pertinet ad Metaphyſicam, ſecundo modo ad Logicam..

4. *Quare illa ordinatio eſt ens rationis?* Quia res non ſunt à parte rei, & ſecundùm ſe ſic ordinatæ: eò quod ordinatio realis ſit rerum inter ſe realiter diſtinctarum: attributa autem illa, quæ ſeriem conponunt, non ſunt realiter inter ſe diſtincta: ergo ordinatio illorum non poteſt eſſe niſi rationis.

5. *Ad quid vtilis eſt Categoriarum liber?* 1. Ad diſtinguendas eſſentias rerum, quæ in prima ſubſtantia concretæ reperiuntur, ac permixtæ: 2. Ad formandas rectas definitiones rerum; dum aſſumitur proximum genus

nus, & vltima differentia. 3. Ad formandas rectas enunciationes, dum ſuperiora de inferioribus prædicantur. 4. Ad faciendam bonam diuiſionem, quæ fieri debet generis in ſpecies immediatas, vt animalis in hominem & brutum; quod totum perſpicuè habetur ex ſerie prædicamentali, quæ vulgò appellatur arbor porphyriana ſupra poſita.

6. *In quot partes diuiditur iſte liber?* In tres: prima agit de ante-prædicamentis: ſecunda de prædicamentis: Tertia de poſt prædicamentis.

De Ante-prædicamentis.

7. QVid eſt ANTEPRÆ-DICAMENTVM? Eſt id, quod neceſſariò debet præcognoſci, ad prædicamenta intelligenda, veluti aliquod eorũ præludiũ.

8. *Quot ſunt Ante-prædicamenta?* Sunt octo, ſcilicet quatuor definitiones, duæ diuiſiones, & duæ regulæ. Prima Definitio eſt Æquiuocorum, ſeu homonimorum, ſic: ÆQVIVOCA dicuntur quorum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ nomini acconodata eſt omninò diuerſa. Secunda eſt Vniuocorum, ſeu ſynonimorum, ſic VNIVOCA dicuntur quorum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ nomini accomodata eſt omninò eadem. Tertia eſt Denominatiuorum, ſeu paronimorum ſic: DeNOMINATIVA dicuntur quæ ab aliquo nominis appellationem habent, ſolo differentia caſu. Quarta tandem

dem talis eſt: In ſubiecto eſſe dico, quod cùm ſit in aliquo, non ſicut pars, impoſſibile eſt eſſe ſine eo, in quo eſt.

9. *Quare agit hic Ariſtoteles de Æquiuocis, Vniuocis, & Denominatiuis?* Quia omnis confuſio debet à categorijs eliminari, vt ſic intellectus rectè apprehendat rerum eſſentias: Confuſio autem ex æquiuocatione prouenit, quare vt euitetur hæc confuſio neceſſe eſt dignoſcere quid ſit æquiuocatio: euitata verò æquiuocatione, reſultat vniuocatio, qua gaudent ſumma genera reſpectu ſuorum inferiorum; vniuocè enim prædicatur ſummum genus de inferioribus; ergo quid eſſet vniuocatio præmittendum fuit. De Denominatiuis verò etiam debuit agere Ariſtoteles, quia cum nouem vltima prædicamenta ſint accidentia, & accidens de ſuo ſubiecto dicatur denominatiuè, meritò de Denominatiuis prælibandum fuit.

10. *Quænam ſunt diuiſiones?* Prima eſt: EORVM quæ dicuntur, alia cum complexione dicuntur, vt *homo currit*, alia ſine complexione, vt *homo*. Secunda eſt: EORVM quæ ſunt, quædam de ſubiecto dicuntur; in ſubiecto tamen non ſunt, vt ſubſtantiæ vniuerſales, *homo*, *animal*: quædam in ſubiecto ſunt de ſubiecto autem non dicuntur, vt accidentia ſingularia: *hoc album*: quædam in ſubiecto ſunt, & de ſubiecto dicuntur, vt accidentia vniuerſalia, *ſcientia, virtus*: quædam verò neque in ſubiecto ſunt: neque de ſubiecto dicuntur, vt ſubſtantię ſingulares, *Petrus Socrates*.

11.

11. *Quare duæ iſtæ traduntur Diuiſiones?* Quia quæ ponuntur in categoria ſunt res ſimplices, vt genera, & ſpecies, ideò oportuit diſcernere complexa ab incomplexis. Deinde eorum, quæ ponuntur in categoria, alia dicuntur de alio, alia non; ideò oportuit iſtam tradere diuiſionem: Tandem iuxtà celebre Dialecticorum effatum, quidquid exiſtit in rerum natura, vel ad Subſtantiam, vel ad Accidens pertinet, iſtud eſt in ſubiecto, non illud.

12. *Quænam ſunt regulæ?* Prima eſt: QVANDO aliquid prædicatur de aliquo vt de ſubiecto, quidquid prædicatur de prædicato, dicitur etiam de ſubiecto (intellige in attributis eſſentialibus) vt, quidquid dicitur de animali, dicitur etiam de homine, de quo animal prædicatur. Hæc prima regula traditur, vt facilè deprehendatur quænam voces pertinent ad idem prædicamentum, aut non; nam quæ ita ſe habent vt regula docet, ſunt eiuſdem prędicamenti. Secunda eſt, DIVERSORVM generum, & non ſubalternatim poſitorum diuerſæ ſunt ſpecie differentiæ: Subalternorum verò generum nihil prohibet eſſe eaſdem differentias. Et hæc quidem traditur, vt rerum ad diuerſa prædicamenta pertinentium diſtinctio, & earum, quæ ſunt in eodem prædicamento affinitas, & cognatio innoteſcat.

13. *Quare Ariſtoteles non definiuit Analoga?* Quia comprehenduntur ſub Æquiuocis, & ſolent ſic definiri: ANALOGA dicuntur

quo-

quorum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ nomini accomodata eſt diuerſa ſimpliciter, eadem autem ſecundùm quid.

14. *Quomodo diuiduntur Analoga:* Analogorum alia ſunt proportionis, ſeu attributionis, & alia proportionalitatis: *Primi generis* ea ſunt, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſignificata eſt eadem ſecundùm terminum, & diuerſa ſecundùm habitudines ad illum: vt ſanum dicit diuerſas habitudines vrinæ, & herbæ ad ſanitatem animalis: vrina enim eſt ſignum ſanitatis animalis, & herba cauſa eiuſdem ſanitatis, animal verò eſt ſubiectum. *Secundi generis* ſcilicet Analoga proportionalitatis dicuntur, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſignificata eſt eadem ſecundùm ſimilitudinem, vel conuenientiam proportionem, vt videre oculis & videre mente.

15. *Quid eſt* PROPORTIO? ſecundùm primam nominis impoſitionem, ſignificat habitudinem quantitatis ad quantitatem ſecundùm determinatum exceſſum, vel adæquationem: ſicut quatuor ad duo habet proportionem dupli. Sed transfertur ad ſignificandam habitudinem quarumcunque rerum.

16. *Quid eſt* PROPORTIONALITAS? Eſt ęqualitas proportionum inter ſe; vt inter pedem montis, & pedem animalis inuenitur æqualitas proportionum: nam ſicut ſe habet pes montis ad montem, ita ſe habet pes animalis ad animal.

17. *Quid*

17. *Quid eſt* ANALOGIA? Eſt aliqualis conuenientia inter ea, quæ re ipſa ſunt diuerſa; vel eſt proportio, ſeu comparatio inter multa eodem nomine ſignificata.

18. *Quęnam eſt differentia inter Æquiuoca, Vniuoca, & Analoga?* Quod Æquiuoca habent rationem omninò diuerſam, Vniuoca omninò eandem, Analoga verò partim eandem, & partim diuerſam: ſcilicet ſecundùm quid eandem, & ſimpliciter diuerſam: Et ita ſimilitudinem nullam habent Æquiuoca, niſi nominis: Analoga proportionis habent ſimilitudinem in vnitate termini, & in forma ſignificata per illum, quam extrinſecè conotant; Analoga proportionalitatis propriæ habent ſimilitudinem in modo habendi ſuas formas intrinſecè. Tandem Vniuoca habent ſimilitudinem in aliqua forma, quam participant, & ſic dicuntur habere ſimpliciter conuenientiam, & ſimilitudinẽ.

19. *Quid ſi habeant rationem ſimpliciter eandem, & ſecundùm quid diuerſam?* Illa non dicuntur propriè Analoga Logica, hoc eſt ſecundùm intentionem: ſed Analoga Phyſica, ſeu ſecundùm eſſe; ſicut animal reſpectu hominis, & bruti dicitur Analogum Phyſicum, non Logicum.

20. *Quænam ſunt conditiones Analogorum attributionis?* Præcipua hæc eſt, vt in præcipuo membro forma inueniatur intrinſecus, & in alijs extrinſecus, & denominatè; V. G. in præcipuo ſano, quod eſt animal, reperitur ſanitas intrinſecè; in vrina vero,

&

& medicina extrinſecè, & per habitudinem ad ſanitatem animalis. Ab hac conditione ſequuntur aliæ tres: prima, vt forma Analoga ſit in iſtis vna numero: ſecunda, vt forma pręcipui membri ponatur in definitione cæterorum, quæ ab illa denominantur: Tertia, vt Analoga illa non ſint vnius conceptus, ſed plurium habentium aliquam connotationem inter ſe.

21. *Quænam ſunt conditiones Analogorum* PROPORTIONALITATIS? Præcipua hæc eſt, vt in omnibus membris inueniatur intrinſecùs, & formaliter aliqua ratio proportionis ſecundùm quam aſſimilantur inter ſe modo proportionali, V. G. in monte, columna, & animali inuenitur intrinſecè ratio pedis, ſecundùm quam, proportionem habent inter ſe. Ex hac conditione ſequuntur aliæ tres, oppoſitæ conditionibus Analogorum proportionis: Prima, vt ratio Analoga reperiatur in omnibus membris formaliter ſuo modo: Secunda, vt non ponatur vnum in definitione aliorum: Tertia, vt poſſint habere conceptum vnum vnitate imperfecta, & ſecùndùm quid, quæ dicitur vnitas proportionalis.

De Prædicamentis.

22. Q*Vænam ponuntur in prædicamentis?* Omnia entia creata, quæ haſce conditiones habent: Prima, vt ſint realia. Secunda, vt ſint entia per ſe.

Tertia

Tertia,vt ſint completa. Quarta, vt ſint incomplexa. Quinta, vt ſint Vniuoca: Sexta, vt ſint prædicata eſſentialia. Itaque reijciuntur à prædicamentis. 1. Entia rationis, eo quod ens, quod diuiditur in decem prædicamenta eſt ens reale. 2. Entia per accidens, quia non habent entitatem veram, vt *domus aceruus*. 3. Entia incompleta, quia non habent veram prædicabilitatem, vt *pes*, *manus*. 4. Complexa, quia ſunt plura entia, & ideò in diuerſis Categorijs ponuntur, vt *Homo albus*. 5. Æquiuoca, & Analoga, quia omne prædicabile eſt vniuocum. 6. Tandem prædicata accidentalia, vt *album*, *muſicum*, quia genera, & ſpecies, ex quibus conſtant ſeries prædicamentales, ſunt prædicata eſſentialia. Indiuidua verò ponuntur tanquam baſes prædicatorum ſuperiorum omnium, vt *Petrus Socrates* in prædicamento ſubſtantiæ.

23. *Quare dici entia creata poni in prædicamento?* Quia ens increatum nempè DEVS, ob ſummam ſuam perfectionem nullo modo ponitur in prædicamento: nam quod ponitur in prædicamento eſt limitatum ad illud, cum non ſit vltra; eſt compoſitum ex genere & differentia, habetque aliquid potentiale: Deus autem tranſcendit omnia entia, nullamque habet compoſitionem, ſed eſt actus puriſſimus; ergo qui Deum in Categoria reponunt, vel Categoriam, vel Deum ipſum ignorant.

24. *Quotupliciter ponitur aliquid in prędicamento?* Dupliciter, directè, & reductiuè: Directè

rectè ponuntur Genera, Species, & Indiuidua, quæ conſtituunt lineam directam: reductiuè verò differentiæ, quæ conſtituunt lineam indirectam; Deinde Partes, Principia, Termini, Modi, & quæ quocunque modo ad aliquod prędicamentum pertinent, ad illud reduci dicuntur; ſic punctum reducitur ad genus quantitatis, eo quod eſt terminus lineæ; manus ad genus ſubſtantiæ, eo quod eſt pars corporis, &c.

25. *Quot ſunt Prædicamenta, ſeu ſuprema Genera?* Circa numerum prędicamentorum diuerſæ fuerunt Philoſophorum ſententiæ. Plato vnum poſuit ſcilicet *Ens*. Xenocrates duo, *Subſtantiam*, *& Accidens:* Valla tria, *Subſtantiam, Qualitatem, & Actionem*: Stoici quatuor, *Subſtãtiam, Qualitatem, Modum rei, & Relationem:* Plotinus quinque; alij nouem: at Architas Tarentinus decem induxit prędicamenta, quem ſecutus Ariſtoteles, tantam huic numero authoritatem conciliauit, vt quamuis non adeò euidenti ratione firmetur, nefas ſit illi repugnare; vt ait Auicenna, 7. *Metaphyſicæ*. Pythagorici viginti ponebant, vt colligitur ex Ariſtotele 1. *Metap. c. 5.* Sunt igitur tantùm DECEM PRÆDICAMENTA ſcilicet SVBSTANTIA, QVANTITAS, QVALITAS, RELATIO, ACTIO, PASSIO, VBI, QVANDO, SITVS, ET HABITVS.

26. *Quænam eſt ratio huius diuiſionis?* PRIMA EST: ſunt decem res primò diuerſę; id eſt quæ in nullo conueniunt vniuoco; nam con-

conueniunt tantùm in Ente, quod non eſt vniuocum, ſed analogũ, vt infrà dicetur: ſed illę res ſunt genera, quia prędicantur de pluribus ſpeciebus: ergo ſunt decem ſuprema genera. SECVNDA: de prima ſubſtantia decem fieri poſſunt interrogationes, ſcilicet *Quid ſit, quanta ſit, qualis ſit, ad quid referatur, quid agat, quid patiatur, vbi ſit, quomodo ſita ſit, quo tempore ſit, & quomodo veſtita ſit:* Ergo ſunt decem prædicamenta, quæ continent res, per quas iſtis decem interrogationibus reſponderi poteſt. Nam reſpondetur: prima ſubſtantia V.G. Petrus, eſt *homo, tricubitus, Logicus, filius talis hominis, verberat ſeruum, verberatur à patre, eſt in templo, ſtat, hodie eſt natus, coronatus eſt.* Tertia Ratio deſumitur ex D. Thoma ſic. Id quod prædicatur de prima ſubſtantia eſt, vel eſſentiale, & ſic eſt *Subſtantia;* vel accidentale: accidentale autem, vel inhæret ipſi ſine ordine ad extrinſecum, vel accipitur ab aliquo extrinſeco: primo modo, vel eſt abſolutum, vel relatiuum: ſi abſolutum, vel conſequitur materiam, & eſt *Quantitas*: vel conſequitur formam, & eſt *Qualitas*. Relatiuum conſtituit prædicamentum *Relationis*: Si ſumatur ab aliquo extrinſeco, vel emanat à principio, & eſt *Actio;* vel recipitur in termino, & eſt *Paſſio;* vel menſurat ſecundùm locum, & eſt *Vbi;* aut ſecundũ diſpoſitionẽ in loco, & eſt *Situs;* vel ſecundùm tempus, & eſt *Quando;* vel tandem vt aliquid ipſi applicatum, & eſt *Habitus*. Nihil aliud reperiri poteſt: ergo ſunt

tan-

tantùm decem ſuprema genera.

27. *Quare Ens non conſtituit vnum generaliſſimum prædicamentum?* Quia non eſt vniuocum, ſed analogicum, tam reſpectu Dei, & creaturarum, quàm reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis. 1. Quia participatur inæqualiter à ſuis inferioribus, non ſolùm quantùm ad differentias rationi Entis quaſi additas, ſed etiam quantùm ad ipſam rationem Entis, quæ alia eſt in Deo, & creaturis, in ſubſtantia & accidente. 2. Quia vnum ponitur in definitione alterius; nam Deus ponitur in definitione creaturæ, ſubſtantia in definitione accidentis. 3. Tandem quia Ens non poteſt eſſe genus, eo quòd includitur in differentijs, genus autem nō debet includi in differentijs, ergo ens non poteſt eſſe genus, nec vniuocum. Similiter ACCIDENS nec vniuocum, nec genus eſt reſpectu nouem accidentium: quia Accidens, vel ſumitur prout abſtrahit à completo, & incompleto, & tunc certum eſt includere differentias quia differentiæ accidentis ſunt accidentia ſaltem incompleta, ergo ſic non poteſt eſſe genus: vel ſumitur pro accidente completo, & tunc non poteſt eſſe genus; quia non eſt completum niſi per ipſos modos, quibus immediatè ſit Quantitas Qualitas, &c. ergo non eſt quid vnum completum ſuperiùs ad quantitatem qualitatem, &c. Ergo non eſt genus, nec prædicamentum, prob. Ant. quia Accidens non ſignificat aliquid vt (quod) ſicut ſubſtantia, ſed vt (quo) cùm ſit forma, ergo non poteſt

poteſt eſſe quid completum, niſi per modum illum prædicamentalem, quo exprimitur commenſuratio, & ordo, quem habet ad ſubſtantiam, cuius eſt forma; & ſic eſt complexum per hoc quod eſt Quantitas, &c.

28 *Quà Analogia Ens eſt Analogum?* Vtraque, quia habet quaſdam conditiones vtriuſque analogię, nam vnum membrum ponitur in definitione alterius V. G. ſubſtantia in definitione accidentis, quod eſt proprium analogorum proportionis: & ratio inuenitur intrinſecè in vtroque membro, quod eſt proprium analogorum proportionalitatis: nam ſubſtantia, & accidens ſunt intrinſecè entia.

29. *Vnde ſumitur analogia attributionis, quam habet Ens ad ſua inferiora?* Sumitur ex dependentia, quam habet vnum inferius ad aliud, V. G. accidentis ad ſubſtantiam: analogia verò proportionalitatis ſumitur ex tranſcendentia entis; & ſic inferiora Entis ſunt primò diuerſa.

De Subſtantia.

30. Q*Vomodo ſumitur Subſtantia.* Primò ſumitur pro cuiuſque rei eſſentia, vt patet in definitionibus Vniuocorum, Æquiuocorũ,&c. 2. pro quacumque re, quæ non eſt Accidens, ſiue illa ſit completa, ſiue non: ita ſumitur *libro 5. Metaph. cap.8. & 1. Phyſ. cap. 6.* Vbi differentiæ, materia,& forma, & partes integrantes, ſubſtantiæ vocantur. 3. pro ſola ſubſtantia perfecta, vt hic

vſurpat Ariſtoteles. 4. pro ſolis primis ſubſtantijs; quo ſenſu negat Ariſtoteles 1. *Met.* genera, & ſpecies ſubſtantiarum, eſſe ſubſtantias.

31. *Quid eſt* SVBSTANTIA? Eſt ENS PER SE SVBSITENS, vel vt explicat D. Thomas, RES, cui debetur eſſe per ſe.

32. *Quotupliciter ſumitur Ens per ſe?* TRIPLICITER, primo vt opponitur Enti per aliud, & idem eſt, quod Ens à ſe: 2. vt opponitur Enti per accidens, & idem eſt, quod Ens vnam habens eſſentiam. 3. Vt opponitur enti in alio, & idem eſt, quod Ens alteri non inhærens. Eſſe per ſe primo modo, ſoli Deo competit. 2. modo conuenit omnibus prædicamentis. 3. modo ſoli ſubſtantię.

33. *Quotuplex eſt Subſtantia?* DVPLEX: prima, & ſecunda: prima eſt ſingularis, vt *Petrus;* ſecunda vniuerſalis, vt *homo*. Prima maximè Subſtantia eſt, quia ſecundis ſubſtantijs, & Accidentibus ſubſtat, id eſt ſubiacet, ipſi verò nihil.

34. *Quænam ſunt proprietates Subſtantiæ?* hæ, videlicet, prima in ſubiecto non eſſe: ſecunda, vniuocè prædicari: tertia, ſignificare hoc aliquid: quarta, nihil eſſe ei contrarium. Quinta, non ſuſcipere magis, & minus. Sexta, quæ maximè propria eſt, eſſe ſuſceptiuam contrariorum; vndè ſubſtãtia dicitur à ſubſtando, quia ſubſtat accidentibus, quorum alia alijs ſunt contraria: Et ob id etiam eſt prior accidentibus, cognitione, & tempore; cognitione quidem, quia Accidens definiri

non

non poteſt ſine Subſtantia ; tempore verò ſeu duratione, quia nullum Accidens inuenitur ſine Subſtantia, cùm tamen Subſtantia aliqua inueniatur ſine Accidente, ſcilicet diuina.

De Quantitate.

35. QVid eſt QVANTITAS? Eſt Extenſio partium in toto; id eſt in ordine ad ſe, ita vt vna pars ſit extra aliam, & hæc definitio eſt eſſentialis, quia extendere partes in ordine ad ſe, eſt id quod primò concipitur in Quantitate.

36. *Quęnam concipiuntur in Quantitate, ſeu potius quinã ſunt effectus Quantitatis?* Quinque ſunt, ſcilicet, EXTENSIO Partium in ordine ad ſe: EXTENSIO earumdem partium in ordine ad locum, cui commenſurantur illæ partes, ita vt vna ſit extra locum alterius. IMPENETRABILITAS, quæ eſt repugnantia, vt vna quantitas localiter extenſa occupetur ab alia localiter quoquè extenſa: DIVISIBILITAS, ſeu aptitudo vt partes ſecernentur ab inuicem: RATIO MENSVRÆ, quæ conſiſtit in hoc, quod per quantitatem cognoſcimus magnitudinẽ, aut paruitatem rerum naturalium; vndè & ſolet definiri Quantitas MENSVRA SVBSTANTIÆ. Extenſio autem partiũ in toto, eſt id, quod primò, & quaſi fundamẽtaliter reperitur in quãtitate, ergo eſt eius eſſentia: cætera verò ſunt eius proprietates.

37. *Quotuplex eſt Quantitas?* Duplex continua,

tinua, & diſcreta. CONTINVA eſt illa cuius partes copulantur aliquo termino communi, id eſt aliquo indiuiſibili, vtramque partem afficiente. DISCRETA verò eſt illa, cuius partes non copulantur aliquo vinculo communi.

38. *Quotuplex eſt Quantitas Continua?* Sextuplex, ſcilicet, Linea, Superficies, Corpus, Locus, Motus, & Tempus; LINEA eſt quantitas continua punctis. SVPERFICIES eſt quantitas continua lineis. CORPVS eſt quantitas continua ſuperficiebus, LOCVS eſt vltima ſuperficies corporis ambientis immobilis prima. MOTVS eſt actus entis in potentia, prout in potentia. TEMPVS eſt menſura motus, & quietis ſecundùm priùs, & poſteriùs.

39. *Sunt ne illę omnes quantitates verę ſpecies Quantitatis continuæ?* Linea; Superficies, & Corpus ſunt tantùm veræ Species Quãtitatis continuæ; quia habent per ſe, & non per aliud veram partium extenſionem; cæteræ verò habent extenſionem per aliud: nam locus non habet aliam extenſionem à ſuperficie, ideò definitur per ſuperficiem: Tempus non habet extenſionem niſi ratione motus, cuius eſt menſura; & motus ratione ſpatij in quo fit. Deinde Motus, & Tempus ſunt entia incompleta, & imperfecta. Ergo non poſſunt eſſe veræ ſpecies.

40. *Quot ſunt Indiuiſibilia partes continuantia?* Sunt quinque, ſcilicet PVNCTVM, quod eſt omninò indiuiſibile: LINEA, quæ eſt

eſt indiuiſibilis ſecundùm latitudinem, & profunditatem, diuiſibilis verò ſecundùm longitudinẽ SVPERFICIES, quæ eſt indiuiſibilis ſecũdùm profunditatem, diuiſibilis verò in longum, & in latũ. MVTATVM ESSE, quod continuat partes motus: & INSTANS, quod continuat partes temporis. Tria prima pertinent ad quantitatem permanentem; duo verò vltima ad labentem.

41. *Quotuplex eſt Quantitas diſcreta?* Duplex, Numerus, & Oratio.

42. *Quid eſt* NVMERVS? Eſt MVLTITVDO menſurata per vnum: ſcilicet per vltimam vnitatem, vt ternarius menſuratur per tertiam vnitatem formaliter ſumptam, id eſt, vt tertia eſt.

43. *Quotuplex eſt Numerus?* Duplex, tranſcendentalis, & prædicamentalis *Tranſcendentalis* eſt, qui per omnia prædicamenta diuagatur, eſtque multitudo vnitatum non quantitatiuarum, vt multitudo Angelorum, &c. *Prędicamentalis* verò eſt multitudo vnitatum quantitatiuarum, & pertinentium ad hoc prædicamentum, vt multitudo corporum, linearum, &c.

44. *Numerus prædicamentalis eſtne vera ſpecies quantitatis?* Ita eſt; quia eſſentialiter de illo enunciatur Quantitas, ſicut de homine animal: nam Quantitas eſt id, quod habet partes abſtrahendo ab eo, quod ſint vnitæ, vel non vnitæ termino communi; numerus autem verè habet partes, licet termino communi non vnitas: ergo, &c.

45. *Quomodo partes Numeri poſſunt facere aliquid vnum ſimpliciter.* Per vltimam vnitatem, quę eſt veluti forma, & complementũ cæterarum, vndè quaternarius dicitur ſimpliciter vnus numerus, quia quarta vnitas facit illum eſſe actu talem: quod autem facit actu tale eſt forma; ergo vltima vnitas eſt veluti forma numeri; cæteræ verò vnitates quaſi materia, quæ per vltimam vnitatem determinatur; & quia ſpecies ſumitur à forma; ideò dicitur numerus habere ſuam ſpeciem ab vltima vnitate.

46. *Iſta vltima vnitas eſt, ne forma numeri interna, vel externa?* Non eſt forma interna, & Metaphyſica, ſed externa, & partialis: quia numerus non eſt vnus vnitate formæ, ſed vnitate ordinis: Ideò ſufficit ad eius vnitatem, vt ad aliquid vnum cæteræ partes eius ordinentur.

47. *Quid eſt* ORATIO? Eſt MVLTITVDO Syllabarum, ſeu vocum, ordine quodam ſub longitudinis, & breuietatis concentu labentium, vt *Dominus*.

48. *Eſtne vera ſpecies Quantitatis?* Non, ſed ſimilitudine tantùm, quia eius Quantitas non eſt aliquid naturale, ſed ex inſtitutione hominum. Diuiditur in varia Carminum genera, & pedes illorum, ac etiam in ſpecies ſonorum, vt *Diateſſaron*, *Diapente*. &c.

49. *Quot aſſignat Ariſtoteles Quantitatis proprietates?* Tres, ſcilicet non habere contrarium, Non ſuſcipere magis, & minus, & quod ſecundùm eam Res dicãtur ęquales, vel inæ-

inæquales. Hæc vltima eſt maximè propria, & concidit, cum quinta ſupra poſita, ſcilicet, quod ſit menſura ſubſtantiæ. Cum hac Differentia, quod hæ proprietates ſunt logicales. Cæteræ verò ſuprà poſitæ vocantur proprietates Phyſicæ.

De Relatione.

50. QVid *neceſſarium eſt ad perfectam cognitionem Relationis?* Neceſſaria eſt maximè expoſitio quorundam terminorum, nempè, Relationis, Relatiui, Subiecti Relationis, Fundamenti relationis, Termini eius, Correlatiui, & Extremi.

51. *Quid eſt* RELATIO? Eſt accidens, ſeu forma cuius totum Eſſe eſt ad aliud ſe habere; ideſt relatio eſt id, quo aliquid dicitur reſpicere aliud, ſeu referri ad illud; vt paternitas eſt, qua pater refertur ad filium. Eſt autem Relatio ſpeciale genus entis realis; quia cætera genera ſunt abſoluta, nec formaliter conſiſtunt in reſpectu, ſicut Relatio: nam conſideranda eſt duplex ratio in Relatione, nempe, ratio *In*, & ratio *Ad*. Prima communis eſt omnibus accidẽtibus, quorum eſt eſſe in ſubiecto, & ſic cum Relatio ſit accidens debet eſſe in ſubiecto: altera ſcilicet ratio *Ad*, eſt propria huius generis Relationis, quia totum Eſſe eius eſt aliud reſpicere, V. G. totũ eſſe patris formaliter, vt pater eſt, eſt reſpicere filium, & ad illum ſe habere; hinc nullo modo intelligimus patrem ſine filio: Ergo

Relatio formaliter ſumpta dicit purum reſpectum, ſeu rationem *Ad.* Quæ quidem realis eſt, quia abſque vlla intellectus operatione pater, V.G. reſpicit filium; cùm nemine cogitante pater ſit filij pater, & ſimile ſimilis ſimile, &c. hoc autem eſt eſſe relatiuum: ergo Relatio eſt quid reale.

52. *Quid eſt Relatiuum?* Eſt concretum relationis, ſeu id, quod refertur.

53. *Quid eſt Subiectum Relationis?* Eſt id, cui ineſt Relatio, V.G. homo eſt, id cui ineſt paternitas.

54. *Quid eſt Fundamentum Relationis?* eſt cauſa, ſeu ratio, cur ſubiectum referatur, ſeu relationem habeat ad aliud: vndè vocatur etiam ratio fundandi.

55. *Quid eſt Terminus Relationis?* Eſt id, ad quod formaliter terminatur Relatio; ſicut filius eſt terminus relationis paternitatis.

56. *Quid eſt Correlatiuum?* Eſt ipſe terminus, quando viciſſim refertur ad id cuius habitudinem terminat. Si verò non correferatur, dicitur ſimpliciter terminus.

57. *Quid eſt Extremum?* Eſt ipſum relatiuum, & terminus eius, ſeu id, quod refertur, & id, quod relationem eius terminat, ſiue correferatur, ſiue non; V. G. pater, & filius, prout oppoſitionem habent; oppoſita enim dicuntur eſſe extrema.

58. *Quotuplex eſt Relatio?* Duplex, tranſcendentalis, & prædicamentalis. Prima diuagatur per omnia prædicamenta: ſecunda eſt ſolùm in hoc prædicamento. Prima vocatur

catur ſecundùm dici, quia ſolum intelligitur referri: Secunda vocatur ſecundùm eſſe, quia de facto refertur. Prima non habet totum ſuum eſſe ad aliud, quia in ſe eſt aliquid abſolutum, connotans tamen aliquid extrinſecum, ſiue vt cauſam, ſiue vt effectum, ſiue vt obiectum, vel ſubiectum, vel alio quocumq; modo: Secunda verò habet totum ſuum eſſe ad aliud. Tandem prima dicitur fundamentum ſecundæ. Ratio huius diuiſionis eſt, quia nulla res eſt, quæ non habeat aliquam habitudinem ad aliam, ſaltem vt effectus ad cauſam, & ita omnia poſſunt dici relatiua? ſed præter hoc, ſunt quædam nomina impoſita ad deſignandas ipſas habitudines rerum, vt Dominus, ſeruus, pater, &c., & hæc vocantur relatiua *ſecundum eſſe*, alia verò *ſecundum dici*.

59. *Quęnam ſunt cōditiones, vt aliqua Relatio ſit prædicamentalis?* Prima, vt habeat ſubiectum reale: Secunda, vt habeat fundamētum reale. Tertia, vt habeat terminum realem, & realiter exiſtentem. Quarta, vt ſit diſtinctio realis inter fundamentū, & terminum, & inter terminum, & ſuum correlatiuum, quia eiuſdem ad ſe ipſum non eſt relati. Quod clarè patet in hoc exemplo: paternitas eſt relatio prædicamentalis, cuius ſubiectum eſt Petrus, V. G. fundamentum, generatio actiua: terminus verò, ipſe filius genitus, qui realiter diſtinguitur à ſuo genitore, & actione generandi. Quintā conditionē addit D. Thomas *tract. de prædic. relat. c.* 1. quod vtrum-

que Extremum ſit eiuſdem ordinis: vndè Dei ad creaturam non eſt realis relatio, quia Dominium Dei, licet ſit reale, non tamen eſt in genere Relationis; eo quod eſt ipſa eſſentia Dei, quæ non eſt in genere.

60. *Quotuplex eſt fundamentum relationis prædicamentalis?* TRIPLEX: Vnitas, & numerus, actio, & paſſio: menſura, & menſurabile. *Vnitas* idem eſt, quod conuenientia, *Numerus* diſconuenientia. Itaque vnitas in ſubſtantia fundat relationem identitatis; numerus diuerſitatis. Vnitas in quantitate facit ęqualitatem, numerus in ęqualitatem: vnitas in qualitatē facit ſimilitudinē; numerus diſſimilitudinem. *Actio & paſſio* fundant relationes cauſæ ad effectum, & effectus ad cauſam; vt patris ad filiũ, &c. Denique *Menſurabile* fundat Relationem ad *Menſuram*; menſura autem hic accipitur pro eo, per quod perfectionem rei cognoſcimus: V. G. per obiectum cognoſcimus perfectionem ſcientiæ: ſic ſcientia realiter refertur ad ſcibile. Menſura verò non fundat relationem ad menſurabile, quia menſura inuariata manet, ideſt abſque aliqua ſui mutatione, & dependentia ab altero, eo quod menſura perficit menſurabile: & ita non refertur realiter ad illud, ſed ratione tantùm; V. G. ſcibile ad ſcientiam. Sed tamen notandum eſt, ſcientiam non referri ad ſcibile relatione *ſecundùm eſſe*, in quantum ſcientia eſt, quia ſic eſt tantùm relatio *ſecundùm dici*: ſed in qnantum eſt quid menſurabile à ſcibili: ad quam men-

menſurabilitatem ſignificandam non eſt nomen impoſitum.

61. *Quare Relatio Diſtinguitur à fundamento realiter?* Quia fundamentum eſt quid abſolutum,cum ſit alterius prędicaměti, V. G. albedo, quæ fundat relationem ſimilitudinis inter duos parietes albos eſt prædicamenti qualitatis. Relatio verò eſt purus reſpectus; ergo debet diſtingui realiter à fundamento.

62. *Poteſt ni Relatio fundare aliam Relationem?* Nequaquam,quia ſequeretur proceſſus in infinitum. Deinde, quia Relatio tam debilis eſt entitatis, vt non poſſit aliam fundare: quia id, quod fundat debet aliquo modo eſſe perfectius illo,quod fundatur: ergo ſicut vnum accidens non poteſt ſubſtare alteri, quia non habet perfectionem modum eſſendi, ita nec vna relatio alteram fundare.

63. *Vnde nam ſumitur vnitas, & diſtinctio ſpecifica Relationum?* Vnitas Specifica relationum deſumenda eſt tanquam à totali, & integra cauſa ab vnitate ſpecifica, tam fũdamenti,quam termini: Diſtinctio verò ſpecifica, à ſpecifica alterutrius diſtinctione; ſeu diuerſitate. Sicque ad hoc vt Relatio dicatur vna ſpecie debet habere vnum ſpecie fundamentum, & vnum ſpecie terminum: Ratio eſt quia ſpecificatiuum Relationis eſt fundamentum ſimul,& terminus; eo quod relatio eſt eſſentialiter ordo fundamenti ad terminum, ergo ab vtroque ſimul deſumenda eſt ſpecificatio Relationis, quod ſi alterutrũ diuerſificetur, diuerſa ſpecie Relatio exurget.

64. *Vnde nam ſumitur vnitas, & diſtinctio numerica Relationum?* Ab vnitate, vel diſtinctione numerica ſubiecti, cui inhærent: quia accidentia diſtinguũtur numero per ſubiecta numero diſtincta, vt dicetur in Metaphyſica c. 4. Itaque paternitas diſtinguitur genere à ſimilitudine, diſtinguitur ſpecie à dominatione, & diſtinguitur numero à paternitate, quæ eſt in alio ſubiecto: è conuerſo dicendum de vnitate

65. *Paternitas, & maternitas ſuntne Relationes ſpecie diſtinctæ?* Sunt diſtinctæ ſpecie incompleta, & inadæquata, non verò completa, & adæquata: quia ambæ fundantur in vna totali, & adæquata generatione filij.

66. *Poteſtne vnica Relatio ad plures extendi terminos? V. G. vna paternitas ad plures filios?* Poteſt; quia cauſa, ſeu fundamentũ eſt idem formaliter, & materialiter tantùm diuerſum V. G. in Relatione quantitatis eadem eſt quantitas reſpectu omnium quantitatum eiuſdem extenſionis: ergo & eadem relatio. Et quamuis pater per plures generationes produxerit plures filios; tamen vnica relatione reſpicit illos; quia ſecunda generatio inueniens relationem paternitatis iam productam in illo eodem ſubiecto, nullam producit, & plures filij ſe habent, vt termini materialiter, non formaliter diſtincti. Et deinde ſola actio generandi non eſt fundamentum relationis paternitatis, ſed actio connotans potentiam generandi: quia autem eſt vnica potentia; ideo abſolutè eſt tantùm vnicum

funda-

ſundamentum. Sic Magiſter vnicà doctrina docet diſcipulos, licet pluribus lectionibus.

67. *Quænam ſunt aliæ Relationis diuiſiones?* Diuiditur inſuper in Relationem mutuam, & non mutuam: æquiparantiæ, & diſquiparantiæ. *Relatio mutua* eſt cuius extrema ſe mutuò reſpiciunt, vt pater, & filius: *non mutua*, è contra, vt ſcientia, & ſcibile; nam ſcientia refertur quidem ad ſcibile, ſicut ad menſuram ſuæ perfectionis, ſcibile autem non refertur ad ſcientiam realiter, ſed ratione tantùm; quia eſt independens ab illa. Relationes primi, & ſecundi generis ſunt mutuæ; tertij verò generis ſunt non mutuæ.

68. *Relatio mutua terminaturne ad aliquid Relatiuum, vel abſolutum?* Terminatur ad aliquid Relatiuum formaliter; non mutua ad abſolutum: quia formalis terminus Relationis, ſeu in quantum terminus, debet eſſe alicuius terminus; nihil enim terminat niſi alterum: ſed illud eſt Relatiuum, quia ſic correfertur, & reſpicit aliud, ergo Relatio mutua terminatur ad aliquid Relatiuum, V.G. Pater ad filium terminatur, qui filius formaliter eſt aliquid Relatiuum, quia formaliter reſpicit patrem. Non ſic autem eſt de non mutua, quia ex parte vnius extremi non datur Relatio, ergo non poteſt terminari niſi ad aliquid abſolutum.

69. *Quid eſt Relatio Æquiparantiæ?* Eſt quæ idem ſortitur nomen in vtroque extremo, vt ſimile dicitur ſimilis ſimile: *Diſquiparantiæ* verò, quæ in vtroque extremo non habet idē nomen,

nomen, vt pater non dicitur patris pater, ſed filij.

70. *Quænam ſunt proprietates Relatiuorum?* Non habere contrarium ratione ſui: non ſuſcipere magis, & minus ratione ſui quoque: dici ad conuertentiam: eſſe ſimul natura, cognitione, & definitione.

De Qualitate.

71. QVid eſt QVALITAS? Eſt DISPOSITIO Subſtantiæ: ſeu eſt accidens modificatiuum, & determinatiuum ſubſtantiæ in ſe ipſa. Deſcribitur à Philoſopho ſic: QVALITAS eſt ſecundùm quam denominamur quales: vt ſi quæratur qualis ſit homo, reſpondetur doctus, ſapiens, &c.

72. *Quot ſunt ſpecies qualitatis?* Quatuor innominatę, ſed per paria ſpecierum, in quas diuiduntur ſolent nominari; & ſunt: *Habitus & diſpoſitio: potentia, & impotentia: paſſio, & paſſibilis qualitas: forma, & figura.* Ratio huius diuiſionis eſt, quia ſubſtantia poteſt qualificari, determinari, aut diſponi quadrupliciter: primo ſecundùm ſuum eſſe. 2. ſecundùm operari: 3. ſecundùm capacitatem recipiendi. 4. ſecundùm extenſionem quantitatis. Diſponitur quantùm ad eſſe benè, vel malè per habitum, & diſpoſitionem: quantùm ad operari, per potentiam, & impotentiã naturalem? Quantùm ad pati, ſeu capacitatem recipiendi, per paſſionem, & paſſibilem qualitatem: Denique quantùm ad extenſionem

quan-

quantitatis, per formam, & figuram. Non poſſunt autem eſſe plures diſpoſitiones ſubſtantiæ, ſiue materialis, ſiue ſpiritualis: ergo ſunt tantùm quatuor ſpecies Qualitatis.

73. *Quomodo definitur prima ſpecies Qualitatis?* QVALITAS determinãs, ſeu diſponens ſubiectum ad hoc, vt benè, vel malè ſe habeat ſecũdùm ſuum eſſe. Diuiditur in habitum, & diſpoſitionẽ. HABITVS eſt Qualitas, ſecundum quam res benè, vel malè ſe habet difficilè mobilis: vt Scientia, virtus. DISPOSITIO eſt Qualitas, ſecundùm quã res benè, vel malè ſe habet facilè mobilis. Intellige ex natura ſua, nam habitus per accidens poteſt eſſe facilè mobilis, & diſpoſitio difficilè mobilis, ex parte ſubiecti & materię, non verò ex parte propriæ cauſæ; Sic ſcientia, quæ ſecũdùm ſe eſt difficilè mobilis, propter certitudinem demonſtrationis; per accidens poteſt facilè tolli ex aliqua ægritudine: Contra verò Ægritudo, quę ſecundùm ſe eſt facilè mobilis, quia natura propellit malum, poteſt per accidens eſſe difficilè mobilis. Et quamuis facilè, & difficilè mobile per accidens videantur pertinere ad Genus Qualitatis, cùm pertineant ad paſſionem, & motum; deſignant tamen proprias, & per ſe differentias Qualitatis: ſicut etiam in genere ſubſtantiæ frequenter accipiuntur differentiæ accidentales loco ſubſtantialium, in quantùm per ea deſignantur principia eſſentialia.

74. *Differunt-ne eſſentialiter Habitus & Diſpoſitio?* Differunt, ſi ſumantur ſecundùm

ſe

ſe & ex natura ſua: quia habent differentias eſſentialiter oppoſitas, ſcilicet Difficilè, & facilè mobile, quamquam per accidens, & quantum ad ſtatum, habitus poſſit fieri diſpoſitio, & è contra.

75. *Quomodo definitur ſecunda ſpecies qualitatis?* QVALITAS, quæ eſt principium proximum ſimpliciter, & abſolutè agendi, vel reſiſtendi. Dicitur principium proximum, quia forma ſubſtantialis eſt principium remotum, & radicale. Dicitur ſimpliciter agendi; quia qualitates primæ ſpeciei ſunt etiam principia agendi, ſed ſecundariò non abſolutè. Diuiditur in Potentiam, & Impotentiam naturalem.

76. *Quid eſt potentia?* Eſt principium forte, & validum agendi, vel reſiſtendi, vt potentia viſiua iuuenis, durities adamantis.

77. *Quid eſt Impotentia?* Eſt principium debile agendi, vel reſiſtendi, vt potentia viſiua ſenis, mollities ceræ. Non differunt ſpecie, ſed ſicut perfectum, & imperfectum intra eandem ſpeciem.

78. *Quomodo definitur 3. ſpecies qualitatis?* QVALITAS ſubiecti, vt moti, & alterati; vel qualitas ſenſibus perceptibilis, vt calor, frigus, ſonus, &c. Diuiditur in Paſſionem, & Paſſibilem qualitatem: Paſſio citò tranſit; vt rubor ex verecundia: paſſibilis Qualitas diu manet; vt rubor ex temperamento.

79. *Quomodo definitur 4. ſpecies Qualitatis?* QVALITAS terminationem, ſeu modum imponens quantitati, id eſt diſponens partes quan-

quantitatis in ſe, non in ordine ad locum, quod pertinet ad Situm. Diuiditur in formam,& Figuram,quæ differunt tantùm accidentaliter : nam FORMA eſt Qualitas diſponens partes quantitatis in rebus artificiatis, vt forma domus, turris,&c. FIGVRA verò in rebus naturalibus, vt figura hominis, equi, &c.

80. *Quænam ſunt proprietates Qualitatis?* Prima eſt habere contrarium; quæ tamen non conuenit omni Qualitati, nam forma, figura,lux, &c. non habent contrarium. Secunda eſt ſuſcipere magis, & minus., quæ etiam non conuenit omni. Tertia, quæ maximè propria eſt, vt ſecundùm eam res dicantur ſimiles, vel diſſimiles, id eſt quod ſit fundamentum relationum ſimilitudinis, & diſſimilitudinis.

De Sex Reliquis Prædicamentis.

81. *Conſiſtuntne ſex vltima Prædicamenta in puris denominationibus extrinſecis?* Non; quia prædicamenta debent eſſe Primò diuerſa, denominatio autem extrinſeca non eſt primò diuerſa à forma denominante, cum ſit ipſamet forma, prout extrinſecè denominans ſubiectum. Sed ſunt quædam entitates, ſeu formalitates intrinſecæ, & abſolutæ, quæ reſultant in rebus cum eſſentiali dependentia ab aliquo extrinſeco, V.G. Vbi, eſt aliqua formalitas intrinſeca, & abſoluta in Petro, qua dicitur loco adiacere, & ſic de alijs.

82.

82. *Quare ſunt formalitates abſolutæ?* Quia ſi eſſent relatiuæ reponerentur in prædicamento Relationis, & ſic eſſent tantùm quatuor prædicamenta, poſſunt tamen dici relationes tranſcendentales.

83. *Quid eſt* ACTIO? Eſt FORMA, ſecundùm quam in id, quod ſubijcitur, hoc eſt in paſſum, agere dicimur. In eo enim conſiſtit eſſentialis ratio actionis Categoricæ, quod ſit emanatio, & veluti egreſſio effectus ab agente in paſſum, ſeu in materiam externam. Ideo Actiones ſolùm tranſeuntes ſunt categoricæ, non immanentes, quæ reponuntur in Categoria qualitatis.

84. *Quid eſt* PASSIO? eſt RECEPTIO formę, ſeu effectus ab agente producti in materia externa: ideò non omnis paſſio eſt Categorica, ſed tantùm, quæ correſpondet actioni categoricæ; id eſt, quæ in fertur ab actione tranſeunte. Non tamen eſt effectus eius propriè, quia Actio, & Paſſio ſunt vna, & eadem entitas, idem autem non eſt effectus ſui ipſius: ſed dicitur inferri ab Actione in quantùm eadem forma, quæ egreditur ab agente recipitur in paſſo.

85. *Quænam ſunt proprietates Actionis, & Paſſionis?* Prima eſt habere contrarium. Secunda ſuſcipere magis, & minus. Duas alias addit Gilbertus Porretanus, ſcilicet, quod ſiat ſemper cum motu, & quod actio inferat ſemper paſſionem.

86. *Quid eſt* VBI? eſt CIRCVNSCRIPTIO paſſiua corporis à circunſcriptione

actiua Loci prouenieñs. Non comprehendit vbi Diuinum, Angelicum, & Sacramentale, ſed tantùm circunſcriptiuum, quod ſolis corporibus conuenit. Diuiditur in ſex ſpecies ſcilicet; Vbi ſurſum, deorſum, ante, retrò, dextrorſum, ſiniſtrorſum; ita vt bina quæque Vbi correſpondeant cuilibet dimenſioni, & ſic ſex correſpondeant tribus dimenſionibus longitudini, latitudini, & profunditati cuiuslibet ſpatij.

87. *Quas proprietates habet?* Nullum habere contrarium ſtrictè dictum, & non ſuſcipere magis, & minus.

88. *Quid eſt* SITVS? *eſt* POSITIO ſeu ordinatio partium in loco ficut, ſedere, ſtare, cubare. Differt ab vbi, quod talem, vel talem diſpoſitionem in loco importat; Vbi verò ſolam poſitionem in loco: vnde poteſt variari Vbi, inuariato Situ. Diuiditur in naturalem, qui habetur à natura, vt quod caput hominis ſit ſurſum; & præternaturalem, qui eſt ad libitum, vt cubare, ſtare: eaſdem habet proprietates, ac Vbi.

89. *Quid eſt* QVANDO? eſt id quod ex adiacentia, ſeu, vt loquitur D. Thomas, ex menſuratione temporis relinquitur: nam ſicut ex extrinſeca circunſcriptione loci reſultat in re locata Vbi, per quod dicitur formaliter eſſe in tali loco; ita ex extrinſeca adiacentia Temporis menſurantis durationem, reſultat in re durante Quando, per quod dicitur formaliter eſſe in tali tempore, vt heri, hodie, &c.

90. *Quid*

90. *Quid eſt* HABITVS? eſt id, quod relinquitur ex adiacentia veſtium ad corpus, ſicut de Vbi, & Quando dictum eſt. Diuiditur in totidem ſpecies, quot ſunt diuerſa ornamenta tam toti corpori, quam ſingulis partibus congruentia, vt eſſe pileatum, calceatum, &c. Poteſtque conuenire brutis, vt eſſe phaleratum.

De poſtprædicamentis.

91. QVid eſt POSTPRÆDICAMENTVM? eſt affectio quædam, ſeu proprietas conſequens ad prædicamenta, aut quæ inter ipſa adinuicem comparata reperitur, in nullo tamen illorum ob ſuæ entitatis debilitatem directè collocatur.

92. *Quot ſunt poſtprædicamenta?* Quinque, Scilicet, Oppoſitio, Prioritas, Simultas, Motus, & Modus habendi.

93. *Quid eſt* OPPOSITIO? eſt repugnantia aliquorum, quæ ſimul eidem conuenire non poſſunt. Duplex, eſt, Rerum, & propoſitionum: De prima hic tantùm agitur; quæ adhuc duplex eſt, lata, & ſtricta. Lata comprehendit quãcumque repugnantiam: Stricta vero eſt eorum, quæ certa lege repugnant.

94. *Quotuplex eſt oppoſitio Strictè ſumpta?* quadruplex, ſcilicet, Relatiua, Contraria, Priuatiua, & Contradictoria. Ratio huius diuiſionis eſt, quia, vel repugnantia, ſeu oppoſitio eſt inter ens, & non ens, vel inter ens & ens: ſi primum; vel inter ens, & non ens abſo-

abſolutè, & ſimpliciter, & ſic eſt Oppoſitio contradictoria; vel inter ens, & non ens in aliquo ſubiecto determinato, & ſic eſt Oppoſitio priuatiua: ſi ſecundum, vel eſt inter ens, & ens, quæ mutuò ſe expellunt ab eodem ſubiecto, & ſic eſt Oppoſitio contraria; vel tandem inter ens, & ens, quæ ſe reſpiciunt, & eſt Oppoſitio relatiua.

95. *Quid eſt Oppoſitio Relatiua?* eſt illa repugnantia, ſeu incompoſſibilitas extremorum orta ex Relatione, quam inter ſe habent, vt Pater, & Filius.

96. *Quid eſt Oppoſitio contraria?* eſt repugnantia duarum formarum abſolutarum, & poſitiuarum, quę ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt, vt calor & frigus. In concreto ſic definit Ariſtoteles: CONTRARIA ſunt, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto ſe mutuò expellunt.

97. *Quid eſt Oppoſitio priuatiua?* eſt repugnantia inter formam, & carentiam eius in ſubiecto apto ad illam habendam, vt inter viſum, & cæcitatem. Quando autem Philoſophus dicit, quòd à priuatione ad habitum non datur regreſſus, non eſt intelligendum de omnibus priuationibus; nam à tenebris ad lucem poteſt fieri tranſitus; de illis tantùm priuationibus, intelligendum eſt, quæ tollunt actum ſimul, & potentiam, vt viſus non ſolùm tollit actum videndi, ſed, & facultatem: & ex illa non datur regreſſus ad habitum, Per nomen habitus, intelligenda eſt

eſt forma qua priuatur ſubiectum.

98. *Quid eſt Oppoſitio contradictoria?* eſt in compoſſibilitas inter ens, & non ens, vt cum dico, homo non homo. Eſt omnium maxima quia inter oppoſita contradictoriè non datur medium, ſicut datur inter alia, aut ſaltem commune ſubiectum.

99. *Quod modis dicitur aliquid* PRIVS *alio?* quinque modis, ſcilicet, *Tempore*, *Natura*, *Ordine*, *Authoritate*, *& Cauſa*.

100. *Quod modis dicitur aliquid* SIMVL? tribus præcipuè, ſcilicet, *Tempore*, *Natura*, *& Ordine*.

101. *Quot ſunt ſpecies Motus?* Sex, ſcilicet, generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & latio ſeu motus localis.

102. *Quot ſunt modi habendi?* Octo habere qualitatem, vt virtutem, habere quantitatem, vt bicubitum: habere circundantia nos, vt veſtes: habere aliquid in membro, vt annulum in digito: habere ipſum membrum, vt manum, pedem: habere aliquid in vaſe, vt vinum in dolio: habere poſſidendo, vt agrum; habere cohabitando, vt habere vxorem. Tres priores poſt Categoriæ inueniuntur in omnibus prædicamentis, duæ verò reliquæ in aliquibus tantùm per ſe reperiuntur.

CA-

CAPVT IV.

De ijs quæ libris περὶ ἑρμηνείας ſeu de Interpretatione continentur.

1 DE *quibus nam hic tractat Ariſtoteles?* de ſecundis intentionibus ſecundam mentis operationem dirigentibus, ſcilicet, de Interpretatione,& quę ad illam pertinēt.

2. *Quid eſt* INTERPRETATIO? Eſt conceptus noſtri manifeſtatio, & per Conceptum rei conceptæ expoſitio; quia, qui interpretatur, aliquid exponere intendit. Fit propriè per enunciationem, ſeu propoſitionem, in qua vnum dicitur eſſe aliud, vel negatur: minus propriè per ſimplices voces, & terminos.

3. *Quare vtuntur Philoſophi Enuntiationibus, & Terminis?* Quia non poſſunt ipſas res, de quibus intendunt tractare, in ſcientijs afferre: ideò vtuntur quibuſdam ſignis, nempè vocibus, & terminis vice rerum; per quæ ſigna tamen, de rebus ipſis ſcientiæ acquiruntur.

De Signo, & Terminis.

4. QVid eſt SIGNVM? Eſt quod potentiæ cognoſcitiuæ aliquid repræſentat: Duplex eſt, *naturale*, & *voluntarium*, illud à natura, illud ab impoſitione hominum ſuam habet ſignificationem.

nem. Item duplex eſt, *formale*, & *inſtrumentale*, quia omne id, quo mediante aliud cognoſcimus, aut neceſſe eſt priùs à nobis cognoſci, aut non; ſi debet priùs cognoſci, eſt ſignum inſtrumentale: ſin minus, formale: Itaque *Signum formale* eſt quod ſeipſo repreſentat, vt conceptus mentis, *Inſtrumentale* definitur ab Aug. 2. *de doct. Chriſt. c.* 5. QVOD præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliud aliquid facit in cognitionem venire: vt fumus latentem deſignat eſſe ignem, & quidem naturaliter, ideò ſignificat idem apud omnes. Dictio verò, *homo*, ſignificat illud animal, quod eſt rationis particeps, non quidem naturaliter, ſed ex hominum impoſitione ſignificat, idcircò non omnes homines eandem rem eadem exprimunt dictione. Mappæ ſuper menſam, ex conſuetudine ſignificant comeſtionem. Sic itaque ſignum inſtrumentale tripliciter ſignificat, nempè naturaliter, ex hominum impoſitione, & ex conſuetudine.

5. *Quotuplex eſt ſignificatum?* Duplex, *quo* & *quod*: ſignificatum *quod*, eſt res illa, ad quam ſignificandam ordinatur ſignum: ſignificatum *quo* dicitur medium, quo illam ſignificat. Præterea ſignificatum aliud proximum, & aliud remotum, ſeu non vltimum, & vltimum.

6. *Quid eſt* TERMINVS? Eſt EXTREMVM, ex quo ſimplex cõficitur Propoſitio vel Oratio, & in quod reſoluitur. Sed tripliciter ſumitur Terminus, primò latè pro omni dictio-

dictione; ſic omnes partes orationis Grammaticalis ſunt Termini: ſecundò ſtrictè pro eo, quod componit propoſitionem, tanquam pars: ſic duo extrema, & copula ſunt termini: tertiò ſtrictiſſimè pro eo tantùm, quod poteſt eſſe prædicatum, & ſubiectum; quo ſenſu definitur à Dialecticis, Terminus eſt extremum &c. vt ſupra.

7. *Quomodo ſe habent hæc tria, Vox, Nomen, & Terminus?* Vox realem tantùm ſoni entitatem importat, Nomen verò addit ſono ſignificationem, ſed Terminus dicitur inſuper eſſe extremum propoſitionis, vel incipiens, vel deſinens: vnde voces non ſignificatiuæ vt *blitri*, neque ſunt nomina, neque termini, niſi materialiter, & pro ſeipſis ſupponentes; voces verò ſignificatiuæ extra propoſitionem ſunt quidem nomina, & dictiones, ſed non termini, ſtrictè ſaltem ſumpti.

8. *Quomodo ſignificant Termini?* Mentalis ſignificat naturaliter; vocalis, & ſcriptus, ex inſtitutione, & voluntate hominum. Significant autem principaliter rem, &, vt *quod*; minùs principaliter conceptum, &, vt *quo*: Vtrumque vnica ſignificatione, ſed rem vltimatè, conceptum verò non vltimatè: quia medio conceptu res ſignificatur. Deinde voces, ſeu termini ſunt ſigna cõceptuum ſignificatiua tantùm, nõ ſuppoſitiua; quia in propoſitione non ponuntur loco conceptuum: at reſpectu rerum ſunt ſigna ſignificatiua, & ſuppoſitiua ſimul, quia loco rerum in propoſitione ponũtur, vt cùm dicitur homo eſt

animal, homo non ponitur loco conceptus mei, ſed loco rei conceptæ. Tandem Nomina & Termini triplicē habent conſiderationem, vt aſſerit D.Th. 1.*perih.lect*. 1. vnam quatenus ſignificant res ſimplices; alteram prout ſunt partes, ex quibus enunciatio coaleſcit; tertiam vt aſſumuntur in ſyllogiſmis tanquam maius, minuſve extremum, aut medium: de Terminis primo modo ſumptis agit Ariſtoteles in Categorijs; ſecundo modo in iſtis libris: tertio modo, in libris Priorum.

9. *Quomodo diuiditur Terminus? Primò* diuiditur in Subiectum, & Attributū; ille incipit, hic terminat propoſitionem. *Secundò* in Mentalem, Vocalem, & Scriptum primus mente concipitur, & idem eſt quod conceptus, ſeu notitia intellectus: ſecundus voce profertur, tertius ſcripto mandatur. *Tertiò* in Categorematicum, & Syncategorematicum, ille per ſe aliquid ſignificat vt *homo, lapis;* hic alteri tantùm adiunctus ſignificat, vt *nullus, aliquis:* ille igitur eſt ſignificatiuus, hic conſignificatiuus. *Quartò* in complexum, & in incomplexum; complexi partes ſeparatæ ſignificant vt *homo albus*, non incomplexi, vt *homo, Dominus*. *Quintò* in vniuocum, Æquiuocum, & Analogum: Vniuocus, qui de pluribus ſecundùm vocem, & ſecundùm rem dicitur, vt *homo;* Æquiuocus, qui voce tenus tātùm de pluribus effertur, vt *Canis* reſpectu ſyderis; piſcis, & animalis domeſtici: Analogus, qui primò, & præcipuè vni competit; cæteris verò per ordinem ad illud, vt *ſanum*

primò

primò competit animali, vrinę verò, vel ambulationi per ordinem ad ſanitatem animalis. *Sextò* diuiditur in communem, & ſingularem; ille plura diuiſim ſignificat, vt *Homo, Leo;* hic, vnum tantùm, vt *Petrus; hic homo. Septimò* in concretum, & Abſtractum: Concretus formam, vt in ſuppoſito ſignificat, vt *album;* Abſtractus, ſeparatam à ſuppoſito, ſeu ſubiecto, vt *albedo, humanitas*. *Octauò* in Abſolutum, & Connotatiuũ: Abſolutus ſignificat aliquid per modum per ſe ſtantis, vt *homo;* Connotatiuus per modum alteri adiacentis, vt *albus*. *Nonò* in terminum primę intentionis, & terminum ſecundę intentionis: ille ſignificat aliquid reale, vt *animal*, hic aliquid, rationis, vt *genus*. *Decimò* diuiditur in terminum finitum, & infinitum: ille rem finitam, id eſt determinatam ſignificat, vt *homo;* hic, indeterminatam, vt *non homo;* nam de omnibus non homo indeterminatè dicitur, excepto homine. *Vndecimò* in Tranſcendentem, & non Traſcendentem: ille dicitur de vnoquoque, & ſunt tantùm ſex ſcilicet, *Ens, vnum, verum, bonum, res, aliquid*: Non tranſcendentes ſunt cæteri omnes termini. Aliæ ſunt minus neceſſariæ Terminorum diuiſiones, quæ ob id prætermittuntur.

10. *Quot ſunt Terminorum proprietates?* Quinque, ſcilicet, Suppoſitio, Ampliatio, Reſtrictio, Alienatio, & Appellatio.

11. *Quid eſt* SVPPOSITIO? Eſt acceptio Termini pro eo, de quo verificatur, vt cùm dico homo eſt animal, terminus *homo* poni-

tur pro re ſignificata, ſic etiam *animal*. DVPLEX eſt ſcilicet materialis, & formalis: *materialis* eſt acceptio termini pro ſeipſo, vt *Dominus eſt triſſyllabum:formalis*, prò re ſignificata, vt *Dominus eſt bonus*. Suppoſitio formalis DV-PLEX eſt; propria, & impropria: *propria* eſt acceptio termini pro eo, quod propriè ſignificat, vt *Leo rugit*, *impropria* verò è conuerſo, vt *Leo rugiens circuit*, &c. ſumitur pro Dęmone. Suppoſitio propria DVPLEX eſt, ſcilicet ſimplex, & realis, ſeu perſonalis: *ſimplex*, eſt de immediato ſignificatio, *realis*, *ſeu perſonalis* de ſignificato mediato termini communis, V.G. homo immediatè ſignificat naturam, ſeu ſpeciem humanam, mediatè verò indiuidua naturæ humanæ: ideò quandò dicitur homo eſt ſpecies, homo ſupponit ſimpliciter, quando verò dicitur homo eſt animal, ſupponit realiter; quia verificatur de omnibus indiuiduis naturę humanę quòd ſint animalia. Item diuiditur ſuppoſitio realis in communem, & ſingularem; *Communis* eſt acceptio termini communis pro ſuis inferioribus vt *homo diſputat; Singularis* eſt acceptio termini ſingularis pro re ſingulari, vt *Petrus diſputat*. Item diuiditur in naturalem, & accidentalem. Suppoſitio realis *naturalis* eſt acceptio termini pro omnibus abſolutè ſuis ſignificatis: *accidentalis* verò pro ſignificatis ſecundùm tempus importatum per copulam, vt *homo eſt iuſtus*.

12. *Quomodo diuiditur ſuppoſitio communis?*

In Diſtributiuam, Copulatiuã, Determina-

tam,

tam,& Confuſam. DISTRIBVTIVA eſt acceptio termini pro omnibus ſuis ſignificatis ſumptis *ſeorſim*, *& copulatiuè*, id eſt de quibus fit verificatio ſeparatim,& in propoſitione copulatiua. COPVLATIVA pro ſignificatis *ſimul*,*& copulatiuè* ſumptis, DETERMINATA pro ſignificatis *ſeorſim*, *& disiunctiuè*. CONFVSA pro ſignificatis *ſimul*, *& disiunctiuè*. Et hæ ſuppoſitiones in propoſitionibus maximè obſeruandæ ſunt.

13. *Quomodo poſſunt dignoſci in propoſitionibus?* Ex ſignis propoſitiones afficientibus facilè dignoſcuntur; ſunt autem ſigna, *omnis*, *nullus*, *quidam*, &c. quæ ſignificant ſubiectum propoſitionis taliter ſupponere, ſimiliter, & eius prædicatum, iuxta ſequentem regulam.

Omnis diſtribuit *ſub.* confundit *præd.*
Nullus Vtrumque diſtribuit
Quidam determinat *ſub.* confundit *præd.*
Quidam non determinat *ſub.* diſtribuit *præd.* V. G. *omnis homo eſt animal*, ibi *homo* ſupponit diſtributiuè, quia verificatur de omnibus hominibus ſeorſim ſumptis quod ſint animalia, & in propoſitione copulatiua, dicendo, *& ille*, *& ille homo eſt animal*. Excipitur ſuppoſitio copulatiua, quæ non variatur ratione ſigni vniuerſalis, V. G. *omnes Apoſtoli ſunt duodecim*, ibi *Apoſtoli* ſupponit copulatè quia non ſeorſim, ſed ſimul debent accipi, vt ſint duodecim.

14. *Quid verò dicendum, ſi propoſitio nullum habeat ſignum?* ſi ſit in materia naturali, æquiualet

ualet vniuerſali: in materia contingenti, æquiualet particulari. Sic *homo eſt animal*, idem eſt, ac *omnis homo*, &c. & *homo eſt iuſtus*, idem eſt, ac *aliquis homo*, &c.

15. *Quid eſt* AMPLIATIO? Eſt extenſio termini à minori ad maiorem ſuppoſitionem; vt *homo poteſt eſſe iuſtus*, extenditur ſuppoſitio termini *homo*, non ſolùm ad homines præſentes, ſed etiam futuros, & poſſibiles. Duplex eſt Ampliatio, alia temporum, alia temporum, & ſuppoſitorum ſimul: prima extendit ſuppoſitionem ad omnes differentias temporis, quæ ſunt quinque: præſens, præteritum, futurum, poſſibile, & imaginabile; vt auarus expetit diuitias: ibi diuitiæ ampliantur ad omnes differentias temporis: ſecunda extendit ſuppoſitionem ad omnia ſuppoſita ſecundùm omnes differentias temporis, vt in priori exemplo patet.

16. *Quid eſt* RESTRICTIO? Eſt coarctatio termini à maiori ad minorem ſuppoſitionem, & ampliationi opponitur. Fit quatuor modis: Primò, per copulam implicationis: vt *homo, qui eſt iuſtus diligit Deum*. Secundò per applicationem ſubſtantiui inferioris, vt *animal homo diſputat*: Tertiò per appoſitionem adiectiui, vt *homo doctus benè diſputat*. Quartò per additionem caſus obliqui, vt *Doctrina D. Thomæ præſtantior eſt alijs*, *Æthyops eſt albus ſecundùm dentes*.

17. *Quid eſt* ALIENATIO? Eſt translatio propriæ ſignificationis ad impropriam: vt *vicit Leo de Tribu Iuda*: ibi *Leo* ſumitur pro Chriſto.

Chriſto. Coincidit cum ſuppoſitione impropria.

18. *Quid eſt* APPELATIO? Eſt applicatio ſignificati formalis vnius termini ad ſignificatum formale alterius, vel ad materiale ratione formalis, vt *Petrus eſt magnus Logicus*: magnitudo conuenit Petro ratione Logicæ, magnus appellat ſupra Logicum.

De Nomine, verbo, & Oratione.

19. QVid eſt NOMEN? eſt VOX SIGNIFICATIVA ad placitum, ſine tempore, cuius nulla pars ſeparata ſignificat, finita, & recta: vt *homo, animal*. *Vox* in iſta definitione tenet locum generis: cæteræ verò particulæ locum differentiæ. Dicitur *ſignificatiua*, ad differentiam vocum non ſignificatiuarum: *ad placitum*, ad differentiam vocum ſignificantium naturaliter, vt gemitus. *Sine tempore*, vt diſtinguatur à verbo, cui conuenit ſignificare cum tempore; vt ſtatim videbimus. *Cuius nulla pars ſeparata ſignificat*, vt diſtinguatur ab oratione. *Finita*, vt diſtinguatur à nomine infinito. *Recta*, vt diſtinguatur à caſibus obliquis, Genitiuo, Datiuo, &c. Dialectici enim ſolum Nominatiuum, ſeu rectum, Nomen appellant, quia ille tantùm nominat, & dicit rem.

20. *Quid eſt* VERBVM? Eſt VOX SIGNIFICATIVA ad placitũ, cum tẽpore, cuius nulla pars ſeparata ſignificat, finita, & recta, & eorũ, quæ dicuntur ſemper eſt nota. *Vox* eſt genus iſtius definitionis, cæteræ particulæ

ticulæ tenent locum differentiæ, ex quibus hęc particula *cum tempor* , qua Verbũ differt à nomine reſtat explicanda. Sciendum eſt igitur, aliud eſſe ſignificare tempus, aliud cõnotare tempus, & aliud ſignificare cum tempore. Primum, & ſecundum nomini conueniunt, nam quędam nomina impoſita ſunt ad ſignificãdum tempus: vt dies, Menſis, Annus, &c. Quædam verò ad ſignificandum aliquid connotãdo certum tempus, quo fieri ſolet, vt prandium, cæna. Tertium verò proprium eſt Verbo, nam ei ſoli conuenit ſignificare aliquam actionem, vel paſſionem, quæ cùm non fiant niſi in tempore, dicitur verbum ſignificare cum tempore, vt *amo*, *lego*, *doceor*, &c. Inſuper verbum non ſignificat actionem in actu ſignato, vt quædam nomina, V. G. calefactio, &c. Sed in actu exercito: ſeu ſignificat actionem per modum actionis non per modum rei. Vel tandem, Nomen ſignificat per modum per ſe ſtantis, Verbum per modum fluxus, & motus. Dicitur deinde Verbũ *vox finita*, vt diſtinguatur à Verbis infinitis, qualia ſunt *non amo, non lego*, &c. quę quidem non multùm curat Dialecticus, eo quod propoſitionis ſcientificæ partes eſſe nequeant. Præterea dicitur *vox recta*; vt diſtinguatur à verbis obliquis, qualia ſunt verba in alijs temporibus, & modis à præſenti, & indicatiuo, quæ apud Dialecticos abſolutè non ſunt verba; quia per ſe non poſſunt verè, vel falsè de aliquo prædicari, ſed ratione præſentis indicatiui modi: vt hęc propo-

ſitio

ſitio de futuro. *Petrus diſputabit*, nõ eſt vera, vel falſa, niſi quatenus iſta de pręſenti *Petrus diſputat*, erit aliquando vera, vel falſa: ſimiliter hæc propoſitio de pręterito *Petrus cucurrit* non eſt vera, vel falſa, niſi quatenus iſta de pręſenti, *Petrus currit*, fuit aliquãdo vera, vel falſa. Tandem dicitur, *& eorum, quæ dicuntur ſemper eſt nota*, quia proprium officium Verbi eſt componere vnum cum alio, id eſt applicare prædicatum ſubiecto, & quia prædicatum de ſubiecto dicitur, ideò Verbum eſt Nota eorum, quæ dicuntur. Et per hanc particulam excluditur *participium*; quòd licet ſignificet cum tempore, non tamen eſt nota eorum, quæ dicuntur.

21. *Verbum eſtne pars propoſitionis?* Eſt quidem, nempè attributum, non tamen attributum materiale, ſcilicet res, quæ attribuitur, ſed formale, &, vt quo; quia eſt forma propoſitionis vniens extrema, & efficiens totum compoſitum: Igitur reſpectu totius propoſitionis verbum eſt pars formalis: Deinde attributum reſpectu ſubiecti eſt pars formalis.

22. *Verbum ſubſtantiuum* EST *ſignificatne cum tempore?* Etiam; quia licet non ſignificet actionem veram in tempore factam, ſicut alia verba, tamen ſignificat exiſtentiam per modum actionis menſuratæ tempore, quod ſatis eſt, vt dicatur ſignificare cum tempore. Itaque verbum EST habet proprium conceptum ſcilicet exiſtere, ſeu eſſe actu: ex conſequenti verò ſignificat vnionem, & compoſitionem ſubiecti, & prædicati.

23. *Quid eſt abſolui à tempore?* Eſt conſignificare tempus, non quidem limitatum, & coarctatum ad aliquam differentiam temporis, ſed abſque tali limitatione; quia verbum vniendo extrema, vnit illa ſecundùm exigẽtiam attributi, ita vt ſi attributũ petat ex ſe ſemper conuenire ſubiecto, vt in propoſitionibus naturalibus; tunc Verbũ vnit illa ſemper, & abſque limitatione, vt *homo eſt rationalis:* & tunc copula dicitur *abſolui à tẽpore*.

24. *Quid eſt* ORATIO? eſt vox ſignificatiua ad placitum, cuius partes ſeparatæ aliquid ſignificant, vt dictio, non, vt affirmatio, aut negatio; vt *homo albus*, homo ſeparatum ab albo ſignificat, & albus ſimiliter, vt ſimplex dictio, & idem ſignificat cùm ſeparatur, ac cum vnitur in oratione. Per particulam, *cuius partes*, diſtinguitur à Nomine, & Verbo, quæ ſignificant ſimplicẽ conceptũ, Oratio verò compoſitum, eò quod Oratio componitur ex Nomine, & verbo quæ ſunt dictiones ſimplices: *Nõ vt affirmatio*, quia affirmatio componitur etiam ex nomine, & verbo; & multò minùs, *vt negatio;* quia negatio ſecundùm vocem ſuperaddit affirmationi.

25. *Quomodo differt à termino complexo?* In hoc, quòd licet terminus complexus habeat partes ſignificantes, tamen conſideratur, vt pars vlterius componens, terminus enim eſſentialiter eſt pars; Oratio verò conſideratur, vt Totum ex partibus compoſitum.

26. *Quotuplex eſt* ORATIO? Duplex, perfecta, & imperfecta: prima perfectum ſen-

ſum generat, vt *Deus eſt bonus*: altera ſenſum imperfectum, & ſuſpenſum, vt *ſi dormiatis, homo albus*: Præterea Oratio quintuplex eſt, ſcilicet, *Enũciatiua, Deprecatiua, Imperatiua, Interrogatiua, & Vocatiua*. Sola enunciatiua dicit verum, vel falſum: aliæ affectum deſignant. *Dubitatiua* ad Interrogatiuam, *Optatiua* ad depræcatiuam reducitur, vt expreſsè habet D. Th. 1. *perih. l.* 7. Enunciatiua non inuenitur ſine verbo, licet inueniatur ſine Nomine, vt cùm dicitur, currere, eſt moueri, quia Infinitiuus habet vim Nominis.

27. *Quænam eſt forma Orationis?* Eſt nexus quidam, ſeu Ordo Grammaticus Vocum, ex quibus componitur: vnde licet hæ voces *Cœlum, Terra, Aer* ſint ſignificantes, tamen non faciunt Orationem; quia non vniuntur inter ſe. Materia verò eius ſunt ipſæ voces ſignificatiuæ. Dicitur vox in ſingulari, quia eſt vna vnitate ordinis, & compoſitionis.

De Modis Sciendi.

28. *QVotupliciter ſumitur Modus Sciendi?* Tripliciter; Primò latè, pro omni eo, quod conducit ad Scientiam quomodocumque; ſic interdùm Logica dicitur Modus ſciendi, quia per eam ſcientiæ acquiruntur. Secundò Strictiſſimè, pro ſola demonſtratione, quæ parit Scientiam. Tertiò medio quodam modo, ſcilicet ſtrictè, pro eo, quod deſeruit immediatè ad aliquid ſine errore cognoſcendum. Hoc tertio modo hìc

vſurpatur Modus Sciendi.

29. *Quid eſt Modus Sciendi?* Eſt ORATIO alicuius ignoti manifeſtatiua, & triplex eſt ſcilicet *Definitio*, *Diuiſio*, & *Argumentatio*: quia tria ignota habere poſſumus, Eſſentiam re, partes, & proprietates eius: *Definitio* Eſſentiam explicat, *Diuiſio* tradit partes, *Argumentatio* demonſtrat proprietates.

30. *Quid eſt* DEFINITIO? Eſt ORATIO explicans naturam rei, id eſt manifeſtans quid ſit res, vt ſi quæratur quid ſit homo, reſpondebitur *Animal rationale:* hæc oratio vocatur definitio hominis. Differt ab Ætymologia, quæ explicat tantùm ſignificationem nominis, vt Philoſophia eſt amor ſapientiæ. TRIPLEX eſt, Definitio, Eſſentialis, Deſcriptiua, & Cauſalis. ESSENTIALIS traditur per partes eſſentiales, tùm Metaphyſicas, ſcilicet genus, & differentiã, vt homo eſt *Animal rationale:* tùm Phyſicas, nempè materiam, & formã, vt homo eſt *conſtans corpore, & Anima rationali*. DESCRIPTIVA eſt, quæ traditur per proprietates vel effectus, vt homo eſt *Animal bipes, implume habens caput erectum*. CAVSALIS verò eſt, quæ traditur per cauſas extrinſecas, efficientem ſcilicet, & finalem, vt homo eſt *Animal creatum ad imaginem, & ſimilitudinem Dei:* & homo eſt *Animal creatum ad beatitudinem conſequendam*.

31. *Quænã ſunt præcipuæ Regulæ bonæ Definitionis?* PRIMA eſt, vt Definitio ſit clarior definito, quia debet illud manifeſtare: eſt autem clarior, quando per notiora traditur, ſiue

ſiue ſint notiora ſecundùm ſe, ſiue ſaltem quoad nos. Sic ſæpiſſimè trāduntur Definitiones, per effectus, vel proprietates, quæ ſunt notiores nobis. SECVNDA, vt non conueniat alteri à definito, quia quod commune eſt pluribus non manifeſtat aliquid in particulari: ſic verum eſt Definitionem conuerti cum definito, & vnum loco alterius ſubſtitui. TERTIA, vt definitum non ingrediatur Definitionem, quia ſicut nihil debet eſſe diminutum in definitione, ita nihil quoque redundans, & ſuperfluum. QVARTA, vt conſtet genere, & differentia: hic genus ſumitur pro aliquo communi, quo definitum cum alijs conuenit: differentia verò pro aliquo ſpecialiſſimo ſoli definito conueniente. Et ideò illa definitio omnium optima eſt, quę traditur per verum, ac proximum genus, & propriam, ac vltimam differentiam.

32. *Quænam poſſunt definiri?* Primò, Deus non poteſt propriè definiri, quia non eſt compoſitus ex genere, & differentia. Secundò, Tranſcendentia, & ſuprema genera, quia nō habent ſupra ſe genus. Tertiò ſingularia, quia non immediatè ſubſunt generi, nec differunt eſſentialiter; definitio autem facit differre eſſentialiter. Reſtat ergo, vt ſpecies propriè definiatur; & quidem ſpecies Subſtantiæ proprijſſimè, ſpecies verò Accidentium non ita propriè; quia eſſentia ſubſtantiæ eſt independens à quocumque extraneo, non verò eſſentia accidentis, nam accidentis eſſe eſt ineſſe, ideo in definitione accidentis

ponitur

ponitur aliquid extraneum, nempè ſubie-ctum à quo dependet ſecundùm eſſe, dicunturq; definiri accidentia per additamentum.

33. *Quid eſt* DIVISIO? eſt ORATIO rem aliquam per ſua membra diſtribuens, vt animalium, aliud *rationale*, aliud *irrationale:* DVPLEX eſt, ſcilicet potentialis, & actualis, *Potentialis*, diſtribuit totum potentiale in ſuas partes ſubiectiuas, nempè genus in ſpecies, vt in exemplo allato. Actualis diuidit totum actuale in ſuas partes, quas actu habet; & hæc TRIPLEX eſt, *Eſſentialis*, *Integralis*, *&* *Accidentalis*; quia Totum actuale triplex habet partes, eſſentiales, integrales, & accidentales, Exemplum primæ; hominis *alia pars corpus*, *alia Anima*: ſecundæ; hominis *alia pars caput*, *alia pes*, &c. Accidentalis triplex eſt, nempè ſubiecti in accidentia, vt hominum *alij albi*, *alij nigri*: Accidentis in ſubiecta, vt alborum *aliud nix*, *aliud Lac*, &c. & Accidentis in Accidentia, vt alborum *aliud dulce*, *aliud amarum*, &c.

34. *Quænam ſunt Regulæ bonæ Diuiſionis?* PRIMA, quòd partes, ſeu membra diuidentia ſint oppoſita, ideſt inter ſe diſtincta re, vel ratione. SECVNDA, quod membra diuidentia exhauriant totum diuiſum, & tunc vocatur Diuiſio adęquata: TERTIA, quod in Pauciora membra fiat quantùm fieri poteſt, vt confuſio tollatur. QVARTA, vt membra ſeorſim ſumpta ſint inferiora diuiſo, id eſt minus latè pateant.

35. *Quid eſt* ARGVMENTATIO? eſt ORATIO ſignificatiua diſcurſus rationis ab vno cognito ad minus cognitum conducens: vel, Eſt vnius ex altero illatio; de qua *cap. ſequ.*

De Enunciatione, ſeu Propoſitione.

36. Q*Vænam eſt differentia inter Interpretationem, Enunciationem, & Propoſitionem?* quantùm ad rem nulla eſt, quia inuenitur in illis omnibus affirmatio, vel negatio vnius de alio, per quod manifeſtatur, exprimitur, & proponitur id, quod mente concipimus, quodque à parte rei eſt, vel non eſt, vt cùm dico *homo eſt animal*, *homo non eſt lapis*. In rigore tamen, & ſtrictè loquendo, propoſitio de præmiſſis tantùm dicitur, enunciatio verò de premiſſis, & concluſione.

37. *Quid eſt* PROPOSITIO? Eſt ORATIO enunciatiua, id eſt, in qua vnum affirmatur vel negatur de alio, in quo conſiſtit eſſentia propoſitionis. Nam, vt ait D. Th. 1. *perib. l.* 8. Affirmatio eſt enunciatio alicuius de aliquo; Negatio verò eſt enunciatio alicuius ab aliquo. Sic enunciatio eſt aliquod artefactum, & aliqua compoſitio rationis, qua per applicationem vnius ad aliud aſſerimus vnum alteri conuenire, vel non: quod vocatur componere, & diuidere.

38. *Quænam ſunt partes componentes propoſitionem?* Subiectum, & Prædicatum tanquā extrema, & Copula tanquam vinculum, quo

extrema

extrema vniuntur, id eſt, quo prædicatum vnitur, & applicatur ſubiecto.

39. *Quænam eſt proprietas Propoſitionis?* ſignificare verum, vel falſum, id eſt ſignificare rem, vt de facto eſt, vel non eſt, nam, vt ait Ariſtoteles, *ex eo quod res eſt, vel non eſt, dicitur oratio vera, vel falſa:* Non poteſt autem ſignificare rem ita eſſe, vel non eſſe, niſi applicando vnum alteri per affirmationem, vel negationem, & ita affirmatio, vel negatio eſt eſſentia propoſitionis, à qua ſequitur tanquam proprietas, quod ſignificet verum, vel falſum, vt cùm dicitur *homo eſt animal, homo non eſt animal: homo eſt lapis, homo non eſt lapis.*

40. *Quotuplex eſt Propoſitio?* Duplex; CATEGORICA, id eſt ſimplex, quæ prædicat aliquid ſimpliciter, vt *homo eſt albus:* & HYPOTHETICA, id eſt compoſita ex duabus ſimplicibus, vt *Magiſter loquitur, & Diſcipulus audit:* hęc ſecundùm quid tantùm eſt vna, ſcilicet coniunctione, illa verò ſimpliciter vna eſt.

41. *Quomodo diuiditur propoſitio Categorica?* PRIMò, ratione formæ in Affirmatiuã, & Negatiuam. SECVNDò, ratione Materię in Neceſſariam, Cõtingentem, & Impoſſibilem: Nam triplex eſt Materia propoſitionum, naturalis, contingens, & remota *Naturalis* eſt quando prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti, vel propria eius paſſio, vt *homo eſt animal, homo eſt riſibilis. Contingens*, quando prædicatum poteſt adeſſe, vel abeſſe, vt *homo*

eſt

eſt doctus. *Remota*, quando repugnat ſubiecto, vt *homo eſt equus*. Circa materiam propoſitionum, hæ dantur regulæ. *Prima Regula*. Propoſitio affirmatiua in materia naturali eſt neceſſaria, negatiua impoſſibilis. *Secunda Regula*. Propoſitio in materia contingenti, ſiue neget, ſiue affirmet, ſemper eſt contingens. *Tertia Regula*. Propoſitio affirmatiua in materia remota eſt impoſſibilis, negatiua neceſſaria. Propoſitio verò neceſſaria illa dicitur, quę enunciat rem, quæ aliter ſe habere non poteſt: Contingens, quæ aliter ſe habere poteſt: Impoſſibilis, quæ ſic ſe habere non poteſt. TERTIò, ratione quãtitatis, in Vniuerſalem, Particularem, Indefinitam, & Singularem. *Vniuerſalis* afficitur ſigno vniuerſali, *omnis*, *nullus*, *quilibet*, &c. *Particularis* habet ſignum particulare, *quidam*, *aliquis*. *Indefinita* nullũ habet, vt *homo diſputat*. *Singularis* eſt de ſubiecto ſingulari, vt *Petrus diſputat*. QVARTò, ratione qualitatis in veram, & falſam. Per qualitatem intelligitur quoque affirmatio, & negatio, quia forma rei ſæpè, vt qualitas accipitur. QVINTò diuiditur in Modalem, & de Ineſſe. *Modalis* eſt quæ afficitur aliquo ex his quatuor Modis, *Neceſſariò*, *Contingenter*, *Poſſibiliter*, vt infra dicetur. *De ineſſe* verò, quæ nullo iſtorum modorum afficitur. SEXTò tandé diuiditur ratione partium componentium in propoſitionem *de ſecundo adiacẽte*, & *de tertio adiacente*: prior eſt, cum copula nullum habet attributum, vt *Petrus eſt*; altera verò quando

cum

cum copula ponitur attributum, vt *Petrus eſt homo*.


42. *Quænam ſunt proprietates Propoſitionũ quando adinuicem conferuntur?* Tres ſolent aſſignari, ſcilicet, Oppoſitio, Æquipollentia, & Conuerſio: nam omnis propoſitio opponitur alteri, æquipollet cum altera, & conuertitur cum altera: ergo hæ tres proprietates propoſitionibus cõueniunt inter ſe comparatis, de quibus ſigilatim dicendum eſt.

De oppoſitione Propoſitionum.

43. *QVid eſt* OPPOSITIO? Eſt affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem, id eſt eiuſdem prædicati, & ſubiecti. QVADRVPLEX eſt, ſcilicet Cõtradictoria, Cõtraria, Subcontraria, & Subalterna. Cuius diuiſionis ſufficientia ſic demonſtrari poteſt: vel enim opponuntur in quãtitate, & qualitate, & ſic ſunt *Cõtradictoriæ;* vel in qualitate tãtùm, & tunc ſi ſint ambæ Vniuerſales ſunt *Contrariæ*, ſi particulares ſunt *Subcontrariæ:* vel opponuntur tantùm in quãtitate, & ſunt *Subalternæ*. Non poſſunt alio modo opponi, ergo ſunt tantùm quatuor oppoſitiones, vt in ſequẽti figura patet. Sed prius aduertendę ſunt quatuor Vocales A, E, I, O, quibus Dialectici deſignant quantitatem, & qualitatem propoſitionum: nam A ſignificat Vniuerſalem affirmatiuam; E Vniuerſalem negatiuam, I particularem affirmatiuam, O particularem negatiuam, iuxta hos duos verſus.

Aſſerit A, Negat E, ſint vniuerſaliter ambæ
Aſſerit I, Negat O, ſint particulariter ambæ.

34. *Quæ-*



34. *Quænam ſunt leges, ſeu axiomata harum Propoſitionum oppoſitarum?* PRIMVM: Contradictoriæ repugnant in veritate, & falſitate, id eſt nũquam poſſũnt eſſe ſimul verę, aut ſimul falſæ, ſed neceſſariò vna eſt vera, altera falſa. SECVNDVM; Contrariæ repugnant in veritate, non autem in falſitate, id eſt nunquam poſſunt eſſe ſimul veræ, benè autem ſimul

ſimul falſæ in materia contingenti, vt *omnis homo eſt iuſtus*, *nullus homo eſt iuſtus*. TERTIVM, Subcontrariæ pugnant in falſitate, non autem in veritate, id eſt non poſſunt eſſe ſimul falſæ, benè autem ſimul veræ in materia contingenti. QVARTVM Subalternę, nec in veritate, nec in falſitate repugnant, ſed tantùm in quantitate, ſicque poſſunt eſſe ſimul veræ, & ſimul falſæ, & aliquando vna vera, & altera falſa in materia contingenti: Ideo non ſunt propriè oppoſitæ, quia vera oppoſitio eſt penes affirmationem, & Negationem: affirmatio autem, & Negatio faciunt veritatem, vel falſitatem propoſitionis, vt ſupra dictum eſt; quare propoſitiones, quæ ſunt oppoſitæ in veritate, vel falſitate dicuntur formaliter oppoſitæ, vel, (vt alij volunt) oppoſitæ *de Lege*. Quæ verò ſunt oppoſitæ tantùm penes quantitatem dicuntur oppoſitæ *de Modo*, non *de Lege*. Quæ tandem ſecundùm vtrumque opponuntur, appellantur oppoſitæ, *de Lege*, & *de Modo*. Itaque qualitas facit *Legem*, & quantitas *Modum* in oppoſitionibus propoſitionum.

De Æquipollentia Propoſitionum.

45. QVid *eſt* ÆQVIPOLLENTIA? Eſt duarum propoſitionum oppoſitarum formalis æquiualentia, ex negationis diſpoſitione proueniens. Dicitur *formalis æquiualentia*, quia vna idem formaliter ſignificat, ac altera. Dicitur, *ex negationis diſpo. &c.* quia ſi Negatio præponatur ſubiecto alterutrius Contradicto-

ria-

riarum reddit eas æquiualentes; ſi poſtponatur ſubiecto alterutrius Contrariarum facit æquipollere; & Tandem ſi præponatur, & poſtponatur ſubiecto alterutrius ſubalternarum, ſimiliter æquiualentes reddit, vt fert verſus ſequens.

PRÆ *Contradic*. POST *Contra*.
PRÆ POSTQVE *Subalter*.

Ratio huius eſt, quia Negatio eſt malignantia naturæ, deſtruens quidquid inuenit poſt ſe. Itaque ſi præponatur ſigno propoſitionis, deſtruit eius quantitatem, & qualitatem: ſi poſtponatur ſigno deſtruit qualitatem, non quantitatem: ſi præponatur, & poſtponatur deſtruit quantitatem, non qualitatem, quia duæ negationes inuicem ſe impediunt, & ſic valent vnam affirmationem: quod totum vides in ſequenti figura.

		IDEM EST AC		
O	Non omnis		Aliquis non	O
E	Omnis non		Nullus	E
I	Non omnis non		Aliquis	I
I	Non nullus		Omnis	A
A	Nullus non		Aliquis non	O
O	Non nullus non		Nullus	E
E	Non aliquis		Non omnis	O
O	Aliquis non		Omnis	A
A	Non aliquis non		Neuter	E
E	Non alter		Vterque	A
A	Neuter non		Aliquid	I
I	Non nihil		Quodlibet.	A
A	Nihil non			

Intelligenda eſt hic ſemper negatio negans, id

id eſt, quæ ſupra copulam cadit, non verò negatio infinitans cadens ſupra ipſum extremum, vt cùm dicitur *non homo*.

De Conuerſione Propoſitionum.

46. QVid eſt CONVERSIO? Eſt tranſmutatio vnius extremi totalis in alterum extremum totale, nempè prædicati in ſubiectum, ſeruata qualitate, & veritate. Duplex eſt ſcilicet *ſimplex*, & *per accidens*. Simplex ſeruat quantitatem, & qualitatem, vt *Nullus homo eſt lapis: Nullus lapis eſt homo*. Conuerſio per accidens ſeruat qualitatem, ſed mutat quantitatem, vt *Omnis homo eſt animal; aliquod animal eſt homo*. Additur alia conuerſio parùm apud Dialecticos vſitata, quæ dicitur *per contrapoſitionem*, mutando terminos finitos in infinitos, vt *omnis homo eſt animal: omne non animal, eſt non homo*. Quænam autem propoſitiones ſimpliciter conuertantur, deſignant Vocales illius Vocaboli à Dialecticis inuenti FECI; quænam per accidens, vocales iſtius EVA; tandem per contrapoſitionem vocales iſtius ASTO, vt ferunt hi duo verſus.

Simpliciter fEcI conuertitur EuA per acci
AſtO per contra, ſic fit conuerſio tota.

De Propoſitione Modali.


47. QVid eſt propoſitio Modalis? Eſt quæ afficitur vno ex iſtis quatuor Modis, *Neceſſe, Impoſſibile, Contin-*

gens,

gens, *& Poſſibile*. Nam, vt ait D. Th. *opuſc.* 40. Modus tripliciter dicitur; quidam enim determinat ſubiectum propoſitionis, vt homo albus currit; quidam determinat prædicatum, vt homo currit velociter: quidam deniquè determinat ipſam compoſitionem prædicati ad ſubiectum, & hic ſollummodò facit propriè propoſitionem modalem, eſtque quadruplex ſuprapoſitus, correſpondens triplici materiæ propoſitionum; *Neceſſe* correſpondet materiæ naturali; *Impoſſibile*, materiæ remotæ; *Contingens ſeu Poſſibile* (quod idem ſonat) materiæ contingenti. Oppoſitionem, & æquipollentiam Modalium continet ſequens figura ex eodem loco D. Th. deſumpta: Nam propoſitiones in A ſunt contrariæ propoſitionibus in E: & ſic de reliquis comparando hanc figuram cum ſuperiori: propoſitiones verò eiuſdem quadranguli ſunt æquipollentes ad inuicem.

48. *Qua-*

A	CONTRARIAE	E
Nõ poſſibile eſt nõ eſſe,		*Non poſſibile eſt eſſe,*
Nõ cõtingẽs eſt nõ eſſe,		*Nõ cõtingens eſt eſſe,*
Impoſſibile eſt non eſſe,		*Impoſſibile eſt eſſe.*
Neceſſe eſt eſſe,		*Neceſſe eſt non eſſe.*



I	SVBCONTRARIÆ	O
Poſſibile eſt eſſe,		*Poſſibile eſt non eſſe,*
Contingens eſt eſſe.		*Contingens eſt nõ eſſe,*
Nõ impoſſibile eſt eſſe,		*Nõ impoſſib. eſt nõ eſſe*
Nõ neceſſe eſt nõ eſſe,		*Non neceſſe eſt eſſe.*

48. *Quotuplex eſt Propoſitio Modalis?* Duplex, Compoſita, & Diuiſa; Prima facit ſenſum compoſitum; Secunda, diuiſum. *Senſus compoſitus* eſt vnio extremorum Dicti ſecundùm

dùm ſignificata formalia pro eodem tempore, vt *cæcum videre eſt impoſſibile*; in hac propoſitione vnitur cæcitas cum viſione, ideò ſenſus eſt compoſitus. *Senſus diuiſus* eſt, cùm non vniuntur extrema Dicti, vt *cæcus poſſibiliter videt*. *Dictum* autem eſt aggregatum ex accuſatiuo, & verbo infinitiui modi, vt *cæcum videre*.

49. *Quomodo cognoſcitur vterque ſenſus?* Quando Modus ponitur nominaliter, ſenſus eſt compoſitus; quando verò ponitur aduerbialiter, ſenſus eſt diuiſus, vt in allatis propoſitionibus patet. Ratio eſt, quia cùm Modus ponitur nominaliter, eſt prædicatum propoſitionis, & conſequenter totum dictum ponitur à parte ſubiecti, ſicque neceſſe eſt fieri vnionem extremorum eius iuxta regulas appellationis; quando autem Modus ſtat aduerbialiter, interponitur partibus dicti, impeditque vnionem earum inter ſe, & fit ſenſus diuiſus.

De Propoſitione Hypothetica.

50. Q*Votuplex eſt Propoſitio hypothetica?* Quintuplex; Copulatiua, Diſiunctiua, Conditionalis, Cauſalis, & Rationalis; iuxta has quinque particulas propoſitiones categoricas vnientes, *Et*, *Vel*, *Si*, *Quia*, *Ergo*. Copulatiua tunc eſt vera, quãdo ambæ partes ſunt veræ, vt *Petrus loquitur, & Paulus audit*. Diſiunctiua eſt vera, quando altera pars tantùm eſt vera, vt *Petrus ſtat, vel ſedet*. Conditionalis eſt vera, quando illatio eſt bo-

na, etiamſi vtraque pars ſit impoſſibile, vt *ſi bos haberet alas, valeret*. Cauſalis eſt vera, quando adducitur vera cauſa, vt *quia homo rationalis eſt, riſibilis eſt*. Tandem hypothetica rationalis tunc eſt vera, quando vna pars rectè infertur ex altera, vt *Petrus currit, ergo mouetur*.

De Enunciatione, ſeu Prædicatione.

51. QVomodo *intelligenda ſunt, quæ hucuſque de Propoſitione dicta ſunt?* Intelligi debent de propoſitione, vt conſtat terminis; ſcilicet ſubiecto, & prædicato, ex quorum varietate variæ etiam fiunt propoſitiones. At in quantùm conſtat rebus, quarum vna dicitur de alia, id eſt, vna vnitur alteri in propoſitione, magis propriè enunciatio, ſeu prædicatio appellatur; quia ſic manifeſtatur iudicium, quod habet Intellectus de rebus, dum vnam alteri attribuit per affirmationem, vel remouet per negationem. Vel, ſi vis, propoſitio eſt veluti totum compoſitum conſtans ſuis partibus, nempè ſubiecto, copula, & attributo: Enunciatio verò, vel prædicatio eſt ipſa vis, ſeu formalitas propoſitionis, quæ conſiſtit in vnione extremorum per copulam.


52. *Quotuplex eſt Enunciatio?* Triplex, materialis, identica, & formalis; *Materialis* eſt, quando prędicatum eſt idem materialiter, & realiter cum ſubiecto, formaliter tamen diuerſum, ita, vt nec actu, nec potentia ipſum

includat,

includat, aut contineat, ſed potius excludat, vt cum dicitur *animal eſt rationale*. *Identica*, quando prædicatum eſt omninò idem cum ſubiecto, vt *Petrus eſt hic homo*. *Formalis* deníque eſt, in qua prædicatum nec omninò eſt idem, nec omninò diuerſum formaliter à ſubiecto; ſed medio modo ita, vt ſubiectum includat prædicatum actu; prædicatum verò contineat ſubiectum tantùm in potentia, vt animal eſt viuens. Rurſus Enunciatio duplex eſt, directa, & indirecta: *Directa*, quando ſuperius dicitur de ſuo inferiori, vt *homo eſt animal*, vel ſaltem æquale, quod habeat rationem formæ, vt *homo eſt rationalis*: *Indirecta* verò è contra: Sola prædicatio directa vocatur formalis, ſolaque pertinet ad prædicabilia.

53. *Quænam ſunt Regulæ Enunciationum?* *Prima*: In Enunciatione bona, & formali, totum debet enunciari de toto: quia prædicatum debet eſſe idem cum ſubiecto, cùm enim vnum dicatur eſſe aliud, ſi non ſit idem cum illo, non poterit dici eſſe illud; V. G. ſi animal non eſſet idem cum homine, non poſſet dici, *homo eſt animal*, ſicut nõ dicitur, *homo eſt lapis*. Hęc autẽ identitas non eſt omnimoda; aliàs eſſet enunciatio identica; ſed media, ita, vt prædicatum ſit ſubiectum in potentia, ſubiectum verò ſi prædicatum actu: quod non poſſet fieri, niſi totum de toto prædicaretur, quia pars, nec actu, nec potentia continet aliam partem. Hinc pars non enunciatur de parte, nec totum de parte, nec pars de toto;

A		E
Nõ poſſibile eſt nõ eſſe,	CONTRARIÆ	*Non poſſibile eſt eſſe,*
Nõ cõtingẽs eſt nõ eſſe,		*Nõ cõtingens eſt eſſe,*
Impoſſibile eſt non eſſe,		*Impoſſibile eſt eſſe.*
Neceſſe eſt eſſe,		*Neceſſe eſt non eſſe.*



I		O
Poſſibile eſt eſſe,	SVBCONTRARIÆ	*Poſſibile eſt non eſſe,*
Contingens eſt eſſe.		*Contingens eſt nõ eſſe,*
Nõ impoſſibile eſt eſſe,		*Nõ impoſſib. eſt nõ eſſe*
Nõ neceſſe eſt nõ eſſe,		*Non neceſſe eſt eſſe.*

48. *Quotuplex eſt Propoſitio Modalis?* Duplex, Compoſita, & Diuiſa; Prima facit ſenſum compoſitum; Secunda, diuiſum. *Senſus compoſitus* eſt vnio extremorum Dicti ſecun-

dùm

dùm ſignificata formalia pro eodem tempore, vt *cæcum videre eſt impoſſibile*; in hac propoſitione vnitur cæcitas cum viſione, ideò ſenſus eſt compoſitus. *Senſus diuiſus* eſt, cùm non vniuntur extrema Dicti, vt *cæcus poſſibiliter videt*. *Dictum* autem eſt aggregatum ex accuſatiuo, & verbo infinitiui modi, vt *cæcum videre*.

49. *Quomodo cognoſcitur vterque ſenſus?* Quando Modus ponitur nominaliter, ſenſus eſt compoſitus; quando verò ponitur aduerbialiter, ſenſus eſt diuiſus, vt in allatis propoſitionibus patet. Ratio eſt, quia cùm Modus ponitur nominaliter, eſt prædicatum propoſitionis, & conſequenter totum dictum ponitur à parte ſubiecti, ſicque neceſſe eſt fieri vnionem extremorum eius iuxta regulas appellationis; quando autem Modus ſtat aduerbialiter, interponitur partibus dicti, impeditque vnionem earum inter ſe, & fit ſenſus diuiſus.

De Propoſitione Hypothetica.

50. **Q**Vuotuplex eſt Propoſitio hypothetica? Quintuplex; Copulatiua, Diſiunctiua, Conditionalis, Cauſalis, & Rationalis; iuxta has quinque particulas propoſitiones categoricas vnientes, *Et*, *Vel*, *Si*, *Quia*, *Ergo*. Copulatiua tunc eſt vera, quãdo ambæ partes ſunt veræ, vt *Petrus loquitur, & Paulus audit*. Diſiunctiua eſt vera, quando altera pars tantùm eſt vera, vt *Petrus ſtat, vel ſedet*. Conditionalis eſt vera, quando illatio eſt bo-

na, etiamſi vtraque pars ſit impoſſibile, vt *ſi bos haberet alas, valeret*. Cauſalis eſt vera, quando adducitur vera cauſa, vt *quia homo rationalis eſt, riſibilis eſt*. Tandem hypothetica rationalis tunc eſt vera, quando vna pars rectè infertur ex altera, vt *Petrus currit, ergo mouetur*.

De Enunciatione, ſeu Prædicatione.

51. Q*Vomodo intelligenda ſunt, quæ hucuſque de Propoſitione dicta ſunt?* Intelligi debent de propoſitione, vt conſtat terminis, ſcilicet ſubiecto, & prædicato, ex quorum varietate variæ etiam fiunt propoſitiones. At in quantùm conſtat rebus, quarum vna dicitur de alia, id eſt, vna vnitur alteri in propoſitione, magis propriè enunciatio, ſeu prædicatio appellatur; quia ſic manifeſtatur iudicium, quod habet Intellectus de rebus, dum vnam alteri attribuit per affirmationem, vel remouet per negationem. Vel, ſi vis, propoſitio eſt veluti totum compoſitum conſtans ſuis partibus, nempè ſubiecto, copula, & attributo: Enunciatio verò, vel prædicatio eſt ipſa vis, ſeu formalitas propoſitionis, quæ conſiſtit in vnione extremorum per copulam.

52. *Quotuplex eſt Enunciatio?* Triplex, materialis, identica, & formalis. *Materialis* eſt, quando prędicatum eſt idem materialiter, & realiter cum ſubiecto, formaliter tamen diuerſum, ita, vt nec actu, nec potentia ipſum includat,

includat, aut contineat, ſed potius excludat, vt cum dicitur *animal eſt rationale*. *Identica*, quando prædicatum eſt omninò idem cum ſubiecto, vt *Petrus eſt hic homo*. *Formalis* denique eſt, in qua prædicatum nec omninò eſt idem, nec omninò diuerſum formaliter à ſubiecto; ſed medio modo ita, vt ſubiectum includat prædicatum actu, prædicatum verò contineat ſubiectum tantùm in potentia, vt animal eſt viuens. Rurſus Enunciatio duplex eſt, directa, & indirecta: *Directa*, quando ſuperius dicitur de ſuo inferiori, vt *homo eſt animal*, vel ſaltem æquale, quod habeat rationem formæ, vt *homo eſt rationalis*: *Indirecta* verò è contra: Sola prædicatio directa vocatur formalis, ſolaque pertinet ad prædicabilia.

53. *Quænam ſunt Regulæ Enunciationum?* *Prima*: In Enunciatione bona, & formali totum debet enunciari de toto: quia prædicatum debet eſſe idem cum ſubiecto, cùm enim vnum dicatur eſſe aliud, ſi non ſit idem cum illo, non poterit dici eſſe illud; V. G. ſi animal non eſſet idem cum homine, non poſſet dici, *homo eſt animal*, ſicut nõ dicitur, *homo eſt lapis*. Hęc autẽ identitas non eſt omnimoda; aliàs eſſet enunciatio identica; ſed media, ita, vt prædicatum ſit ſubiectum in potentia, ſubiectum verò ſi prædicatum actu: quod non poſſet fieri, niſi totum de toto prædicaretur, quia pars, nec actu, nec potentia continet aliam partem. Hinc pars non enunciatur de parte, nec totum de parte, nec pars de toto;

quia vna pars excludit aliam, & totum eſt maius ſua parte. *Secunda* Omne vniuerſale rectè de ſuis inferioribus enunciatur, quia eſt totum continens in potentia inferiora. *Tertia*: rectè concretum de concreto prędicatur, ſiue ſit ſubſtantiale, ſiue accidentale, vt *homo eſt animal*, *album eſt coloratum*. *Quarta* concreta non prædicantur de abſtractis, neque abſtracta de concretis, niſi in diuinis, & tranſcendentibus: quia concretum ſignificatur, vt totum, abſtractum verò, vt pars.

54. *Quid reſultat ex enunciatione?* veritas, vel falſitas ſignificata per illam. VERITAS eſt adæquatio Intellectus cum re, è contrà falſitas. Veritas in tribus reperitur, in re ſicut in fundamento, in Intellectu, ſicut in ſubiecto, & in Enunciatione, ſicut in ſigno, quod illam repræſentat.

55. *Vndenam ſumitur veritas, vel falſitas enunciationis?* præcisè loquendo ſumitur ex modo ſignificandi eius: nam cùm non poſſimus exprimere res niſi per voces; eo modo, quo ſunt ſignificatiuæ, eo etiam modo nobis repræsētant. Vnde aliquãdo ex re ſignificata propoſitio erit vera, ſicut *rationale eſt animal*, quæ tamen ex modo ſignificandi falſa erit; quia ibi *rationale*, & *animal* ſumũtur formaliter, vt partes, quarum vna non dicitur de alia: & in diuinis nõ eſt verum dicere, eſſentia generat, ſicut verum eſt, pater generat; nam licet Eſſentia diuina ſit idē cum patre, tamen alio modo ſignificat, quàm pater, quia Eſſentia nõ ſignificat ſuppoſitũ, quod gene-

rat,

rat, eo quòd ſola concreta ſignificant ſuppoſitum, Eſſentia autem ſignificatur abſtractè: Ergo.

CAPVT V.

De his, quæ habentur in Libris Priorum Analyticorum.

1. DE *quibuſnam agit hîc Ariſtoteles?* De reſolutione Syllogiſtica: duo autem ſunt in Syllogiſmo *Forma*, & *Materia;* & ſic duplex eſt reſolutio: Scilicet in Formam, & Materiam; vnumquodque enim reſoluitur in id, quod habet: & quia Forma Prior eſt, Materia verò Poſterior ordine perfectionis, ideò in Libris Priorum agit de Forma Syllogiſtica, in Libris verò Poſteriorum de Materia Syllogiſmi, nempè demonſtratiui, qui præcipuus eſt; nam in libris Topicorum agit de Materia Syllogiſmi probabilis, denique in libris Elencorum de Materia Syllogiſmi Fallacis.

2. *Quid eſt* ARGVMENTATIO? eſt ORATIO, in qua vnum ex alio infertur; vt *Petrus currit, ergo mouetur.* Tria cōtinet ſcilicet *Antecedens*, ex quo aliud infertur; *Conſequens*; quod ab alio deducitur, & *Illationem*, ſeu vim inferendi, in qua conſiſtit formale argumētationis. Nam ſi quis diceret, Petrus currit, & mouetur, non eſſet argumentatio; quia vnum ex alio non infertur, ergo ad argumen-

gumentationem neceſſariò requiritur illatio quæ deſignatur per particulam *Ergo, vel ſimilem*.

3. *Quotuplex eſt Argumentatio?* QVADRVPLEX, ſcilicet Syllogiſmus, Enthymema, Inductio, & Exemplum. *Syllogiſmus* eſt argumentatio, in qua quibuſdam poſitis, neceſſe eſt aliud ſequi, ex eo quod illa poſita ſunt; id eſt in vi diſpoſitionis eorum, quæ poſita ſunt. ENTHYMEMA eſt argumẽtatio, in qua non omnibus poſitis feſtinanter infertur Concluſio; vt *Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal*. INDVCTIO eſt argumẽtatio, in qua à ſingularibus ſufficienter enumeratis ad Vniuerſale fit progreſſio, vel è conuerſo ab Vniuerſali ad ſingularia; vt *ille ignis eſt calidus, & ille &c. ergo omnis ignis eſt calidus*. EXEMPLVM eſt argumentatio, in qua ex aliquo ſingulari aliud ſimile ſingulare colligitur, vt *Chriſtus pepercit Petro, ergo, & mihi parcet*. Syllogiſmus, & inductio differunt eſſentialiter: Primo, quia Syllogiſmus procedit diſcurrẽdo ex principijs per intellectũ notis: Inductio verò ad ſingularia deducendo, quę ſẽſibilia ſunt: Secundò quia; vt ait Ariſtoteles, *lib. 2. priorum c. 23.* Syllogiſmus vtitur medio ad oſtendendum extrema vniri inter ſe: at verò Inductio per tertium probat extremũ de medio: id eſt per ſingularia probat prædicatũ conuenire ſubiecto; Syllogiſmus verò, & Entymema accidẽtaliter tãtùm differunt, ſicut perfectũ, & imperfectum intra eandẽ ſpeciem, ideò Enthymema dicitur Syllo-

Syllogiſmus truncatus. Similiter inductio, & exemplum differunt tantùm accidentaliter: nam exemplum eſt quædam inductio imperfecta.

4. *Quænam eſt ex illis perfectior Argumentatio?* Syllogiſmus, qui ſolus argumentatio formalis dicitur, eo quod ex vi formæ, ſeu diſpoſitionis extremorum cum medio infert neceſſariò vnionem extremorum inter ſe, ſecundùm illud axioma, *quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe*. Cæteræ ſunt argumentationes materiales.

5. *Quotuplex eſt Syllogiſmi Principium?* TRIPLEX, ſcilicet *regulatiuum* cuius virtuti innititur; *Materiale* ex quo componitur; & *Formale*, per quod totaliter eius Materia diſponitur. Principium regulatiuum ſunt iſta axiomata. *Quæcumque ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*: & hoc pro Syllogiſmis affirmatiuè concludentibus; & *Quæcumque ſunt eadẽ inter ſe diſtinguuntur ab vno tertio* (quod ſcilicet ab alterutro illorum diſtinguitur.) Et hoc pro negatiuè concludentibus. Sunt, & alia dua principia valdè dialecticis vſitata ſcilicet *Dici de omni*, & *dici de nullo*: quæ ſic intelliguntur; quidquid Vniuerſaliter affirmatur, vel negatur de ſubiecto debet affirmari, vel negari de quocũque contento ſub illo ſubiecto, vt, quia vniuerſaliter affirmatur de homine quod ſit animal, de Petro, & Paulo quoq; affirmabitur, quia continentur ſub homine. Principium Materiale, ſeu Materia Syllogiſmi prioriſticè loquẽdo

ſunt termini, & propoſitiones: Principium formale denique eſt figura, & modus.

6. *Quot debent eſſe termini in Syllogiſmo?* Tres ſcilicet MAIVS EXTREMVM, MINVS EXTREMVM, ET MEDIVM bis repetiti. *Maius extremum* eſt, quod cum medio ponitur in maiori, *Minus extremum* quod cum medio ponitur in minori, & conſequenter *Medium* ponitur in vtraque, vt patebit in exemplis omnium modorum ſtatim ponendis.

7. *Quot propoſitiones?* Tres, Prima dicitur MAIOR, Secũda MINOR, Tertia CONCLVSIO. Maior, & Minor tenent locum Antecedentis; Concluſio, Conſequentis.

8. *Quid eſt* FIGVRA *Syllogiſmi?* Eſt apta diſpoſitio Terminorum, ſecundùm debitam ſubiectionem, vel prædicationem. TRIPLEX eſt: quia vel Medium ſubijcitur in Maiori, & prædicatur in Minori, & ſic eſt Prima Figura: vel attribuitur in vtraque, & ſic eſt Secunda: vel in vtraque ſubijcitur, & ſic eſt Tertia. Quod hoc verſu.

Prima SVB ATT. *Secunda bis* ATT.
Tertia bis SVB.

9. *Nonne Quarta Galeni addenda eſt?* Non: quia Spuria, inutilis, & indiſtincta à Prima; Spuria quidem, & inutilis, quia non poteſt concludere directè; vera autem Figura debet concludere directè: eſt indiſtincta à Prima, quia fit tantùm per inuerſionẽ Maioris Primæ Figuræ in Minorem: hæc autem tranſmutatio non facit nouam Figuram: quia

ſemper

ſemper Maior retinet eſſentiam Maioris, licet fiat Minor;ratio eſt,quia Maior propoſitio illa dicenda eſt, in qua reperitur Maius extremum,& ille terminus eſt Maius extremum qui prædicatione directa debet prædicari in concluſione,ſic autem eſt in pręſenti, vt patet in hoc Syllogiſmo Figuræ Galeni.

Omnis homo eſt ANIMAL
Sed omne ANIMAL *eſt ſenſibile*
Ergo omnis homo eſt ſenſibilis.

Vbi *ſenſibile* ponitur Minus extremum; cùm tamen naturaliter ſit Maius extremum, quia prædicatur in Concluſione.

10. *Quęnam ex tribus pręcedentibus nobilior eſt?* Prima, quia ibi Mediũ habet verum locum, & ſedem Medij, eſt enim ſubiectum in Maiori, & prædicatum in Minori, Secunda præcellit Tertiæ, quia in ea Mediũ prędicatur, prędicatum autem eſt nobilius ſubiecto.

11. *Quid eſt* MODVS *Syllogiſmi?* Eſt apta diſpoſitio propoſitionum ſecundùm affirmationem, vel negationem, vniuerſalitatem, vel particularitatem.

12. *Quotuplex eſt?* Sexdecim poſſibiles ſunt in vnaquaque Figura, quia ſexdecim poſſunt fieri combinationes quatuor iſtarum Vocalium A, E, I, O. Quæ deſignant quantitatem, & qualitatem propoſitionum. At multi ex illis ſunt inutiles, quia non ſeruant leges Syllogiſmorum. Vtiles autem in Prima Figura ſunt nouem, in Secunda quatuor, in Tertia ſex, omnes nouemdecim. His verſibus comprehenſi.

Barbara, Celarĕt, Darij, Ferio, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum, Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſō,

Exempla Modorum Primæ Fuguræ.

Bar Omne ANIMAL eſt ſenſibile.
ba Omnis homo eſt ANIMAL,
ra. Ergo omnis homo eſt ſenſibilis.

Ce Nullum ANIMAL eſt arbor,
la Omnis homo eſt ANIMAL,
rent. Ergo nullus homo eſt arbor.

Da Omne VIVENS eſt ſubſtantia,
ri Aliqua planta eſt VIVENS,
j. Ergo aliqua planta eſt ſubſtantia.

Fe Nullus LAPIS eſt viuens,
ri Aliquis Scopulus eſt LAPIS,
o. Ergo aliquis Scopulus non eſt viuens.

Ba Omne ANINAL eſt viuens,
ra Omnis homo eſt ANIMAL,
lip. Ergo aliquod viuens eſt homo.

Ce Nullus LAPIS eſt viuens,
lan Omne marmor eſt LAPIS,
tes. Ergo nullum viuens eſt marmor.

Da Omne ANIMAL eſt ſubſtantia,
bi Quidam homo eſt ANIMAL,
tis. Ergo quædam ſubſtantia eſt homo.

Omne

Fa Omne CORPVS eſt ens;
peſ Nullum impoſſibile eſt CORPVS,
mo. Ergo aliquod ens non eſt impoſſibile.

Fri Aliquod CORPVS eſt animal,
ſe Nullus Angelus eſt CORPVS,
ſo. Ergo aliquod animal non eſt Angelus.

Exempla Modorum Secundæ Figuræ.

Ce Nullus homo eſt LAPIS,
ſa Omne marmor eſt LAPIS.
re. Ergo nullum marmor eſt homo.

Ca Omnis ſubſtantia eſt ENS,
meſ Nulla chymera eſt ENS,
tres. Ergo nulla chymera eſt ſubſtantia.

Fe Nullus leo eſt RATIONALIS,
ſti Sed aliquis homo eſt RATIONALIS,
no. Ergo aliquis homo non eſt leo.

Ba Omnis Angelus eſt Spiritualis,
ro Sed aliquis aſinus non eſt Spiritualis,
co Ergo aliquis aſinus non eſt Angelus.

Exempla Modorum Tertiæ Figuræ.

Da Omne RATIONALE eſt animal,
rap Omne RATIONALE eſt viuens,
ti. Ergo aliquod viuens eſt animal.

Fe Nulla LINEA eſt ſubſtantia,
lap Sed omnis LINEA eſt quantitas,
ton. Ergo aliqua quantitas nõ eſt ſubſtantia.

Di Aliquod ANIMAL eſt homo,
ſam Omne ANIMAL eſt ſubſtantia,
mis. Ergo aliqua ſubſtantia eſt homo.

Da Omnis LOCVS eſt ſuperficies,
ti Aliquis LOCVS eſt corporeus,
ſi. Ergo aliquod corporeū eſt ſuperficies.

Bo Aliquod CADAVER non eſt putridū;
car Omne CADAVER vita priuatur,
do. Ergo aliquid vita priuatum non eſt putridum.

Fe Nullum ANIMAL eſt ſine ſenſu,
ri Aliquod ANIMAL eſt homo,
ſon. Ergo aliquis homo non eſt ſine ſenſu.

13. *Quinam ex illis dicuntur Modi perfecti?* Quatuor Primæ Figuræ, quia ſunt in nobiliori Figura, directè cōcludunt, & omni modo, Primus in A. Secūdus in E. Tertius in I. Quartus in O. Cęteri omnes ſunt imperfecti.

14. *Quid eſt concludere directè?* eſt maius extremum prædicari de Minori extremo in concluſione, directè autem concludunt omnes modi ſupra poſiti exceptis quinque vltimis Primæ Figuræ.

15. *Quænam ſunt leges communes Syllogiſmorum?* Prima: ex meris negatiuis nihil ſequitur. Secunda: ex meris particularibus nihil ſequitur etiam, intellige vi formæ & diſpoſitionis terminorum; nam aliquando materialiter ſequitur. Tertia, ſi altera præmiſ-

miſſarum ſit particularis,concluſio erit particularis,ſi negatiua,concluſio etiam erit negatiua, quia concluſio ſequitur debiliorem partem. Quarta:medium debet diſtribui ſaltem in aliqua præmiſſarum; id eſt ſupponere diſtributiuè. Quinta: in concluſione nullus debet diſtribui terminus, qui non fuerit diſtributus in præmiſſis. Sexta: debent ſeruari proprietates terminorum, id eſt eadem ſuppoſitio, ampliatio, &c. Excepta ſuppoſitione, quæ prouenit à ſignis.

16. *Quænam ſunt Regulæ generales conſequentiarum? Prima;* ex vero non niſi verum deducitur, ex falſo aliquando falſum, & aliquando verum, vt *Aſinus eſt rationalis, ergo aſinus eſt animal*. Falſum autem ſemper ex falſo,& ſic rectè valet illa formula argumentandi; *Falſum Cõſequens, ergo, & Antecedens*. *Secunda*, quidquid ſtat cum Antecedẽte, ſtat cum conſequente, ſed non è conuerſo, vt quidquid ſtat cum homine, ſtat cũ Animali. Vbi obſeruandũ eſt Antecedens eſſe aliquid inferius, Conſequens verò ſuperius, V. G. homo eſt Antecedens reſpectu animalis, viuentis, &c. Rectè enim ſequitur, eſt homo, ergo eſt animal, viuens, &c. Sed non è conuerſo. Ratio eſt, quia inferiora includunt ſuperiora,non è contra:hanc ſuperioritatem autem indicant ſeries prædicamentales. *Tertia*,Quidquid ſequitur ex cõſequente,ſequitur ex Antecedente,vt ſequitur ex Animali, ſenſibile,ſequitur etiam ex homine; ſed non è conuerſo. *Quarta* In bona conſequentia

ex

ex oppoſito contradictorio Conſequentis, infertur contradictorium Antecedentis, vt ex non Animali ſequitur non homo.

17. *Quęnam eſt differentia inter Conſequentiam, & Conſequens?* Quod Conſequens eſt id quod ſequitur ex altero, & quia per propoſitionem ſignificatur, ideò dicitur Conſequens verum, vel falſum; Conſequentia verò eſt vis inferendi vnum ex alio. Ideò non dicitur vera, vel falſa, quia non eſt propoſitio; ſed dicitur bona, vel mala, quia ſignificat vnum rectè inferri ex alio; vnde poſſunt eſſe Antecedens, & Conſequens falſa, & tamen bona cõſequentia, vt Petrus habet alas, ergo volat. Tunc igitur Conſequentia eſt legitima, quando antecedens eſt aliquid inferius, vel ſaltem æquale; Conſequens verò aliquid ſuperius, aut æquale, vt mox dictum eſt.

18. *Quomodo inueniri poteſt Medium ad probandam aliquam propoſitionem?* Obſeruandæ ſunt quatuor ſequẽtes regulę. *Prima* Ad concludendam propoſitionem vniuerſalẽ affirmatiuam ſumendũ eſt Medium Conſequens ad ſubiectum dictæ propoſitionis, & Antecedens ad Attributum. *Secunda* Ad inferendam vniuerſalem negatiuam, ſumendum eſt Medium Cõſequens ad ſubiectum, & extraneum prædicato: (extraneum illud eſt, quod ineſſe non poteſt.) *Tertia* Ad inferendam particularem affirmatiuam ſumendum eſt Medium Conſequens ad ſubiectum, & Antecedens ad attributum, in Prima quidem Figura: nam in Tertia debet eſſe Medium

Ante-

Antecedens ad vtrumque. *Quarta* Ad inferendam particularem negatiuam in Prima Figura, ſumendum eſt Medium Conſequens ad ſubiectum, & attributo extraneum: ſi in Quarto Modo Secundæ Figuræ Medium debet eſſe extraneum ſubiecto, & Conſequens ex attributo: Tandem in tertia Figura Medium debet eſſe Antecedens ad ſubiectum, & extraneum ad attributum: vt patet in exemplis ſupra allatis.

19. *Quot ſunt proprietates Syllogiſmorum?* Duæ ſcilicet Probatio, & Reductio: *Prima* Conuenit Syllogiſmis in quatuor Modis perfectis; cæteris verò Reductio. Probatio fit per hoc, quod oſtenditur in ipſis ſeruari iſta principia regulatiua *Dici de omni, & dici de nullo:* Nam quidquid vniuerſaliter affirmatur de aliquo in duobus iſtis Modis *Barbara*, & *Darij* affirmatur, & de omni contento ſub illo; & in duobus alijs Modis quidquid vniuerſaliter negatur de aliquo, negatur quoque de omni contento ſub illo; Ergo illi quatuor Modi rectè concludunt.

20. *Ad quid neceſſaria eſt Reductio?* Vt Syllogiſmi imperfecti, & minus clarè concludentes ad perfectos reducti, clariores fiant; id eſt euidentiùs in eis appareat *Dici de omni*, & *Dici de nullo*.

21. *Quotuplex eſt Reductio?* Duplex, Oſtenſiua, & per impoſſibile: *Oſtenſiua* fit cum aliqua propoſitio Syllogiſmi imperfecti conuertitur, vel trāſmutatur Maior in Minorē, & è contra: quam quidem propoſitionum

conuer-

conuerſionem, & transfmutationem ſignificant hæ quatuor litteræ S. P.M.C. quæ intra Modos reperiuntur; Ita, vt S. faciat propoſitionem immediatè præcedentem ſimpliciter conuerti, P. per accidens, M. tranſponi Maiorem in Minorem C. verò non poſſe reduci niſi per impoſſibile: quod exprimitur his duobus verſibus.

vult S. ſimpliciter conuerti, vult P. per acci:
vult M. tranſponi C. per impoſſibile duci.

22. *Ad quemnam Modum, perfectum oſtenſiuè reducitur imperfectus V.G. Fapeſmo?* Reducitur ad Ferio, quia incipit per litteram F. ſicut Ferio, ſic Baralipton ad Barbara, &c. (excipiunt Baraco, & Bocardo qui non reducuntur oſtenſiuè, ſed per impoſſibile ad Barbara.)

23. *Quomodo fit reductio per impoſſibile?* Si Aduerſarius Maiore, & Minore Syllogiſmi imperfecti conceſſis, neget concluſionem, inferenda erit contradictoria concluſionis negatæ, ex qua, & ex altera præmiſſarum iam conceſſarum fit Syllogiſmus perfectus concludens contradictoriam, vel contrariam alterius præmiſſæ conceſſæ, ac proinde cogit concedere duas contradictorias, quod eſt reducere ad impoſſibile; nam impoſſibile eſt duas contradictorias eſſe veras.

24. *Ad quemnam Modum perfectum reducitur per impoſſibile Modus imperfectus V.G. Baralipton?* ad hoc præſtandum inuentus eſt ſequens verſus. *Febifer*

Febiſeraxis, obit terras, Spheramq; quotanis. Syllaba *Fe*, deſignat primum modum imperfectum ſc. Baralipton, Syllaba *Ba* deſignat ſequentem Modum, & ſic de reliquis: quia ergo Prima Syllaba deſignans primum Modum habet Vocalem E. debet reduci ille Modus imperfectus ad Modum perfectum, qui deſinit per E. ſcilicet ad Celarent, & ita Baralipton reducitur ad Celarent, & ſic de reliquis: Quatuor enim modi perfecti deſinunt per A, E, I, O, vt ſupra dictum eſt.

25. *Quomodo diuiditur Syllogiſmus?* Primò in communem, & ſingularem: *Communis* eſt, qui habet terminum communem pro Medio; eiuſmodi ſunt omnes Syllogiſmi omnium modorum ſupra poſitorum. *Singularis* verò, ſeu expoſitorius eſt, cuius medium eſt terminus ſingularis, vt

Petrus eſt albus,
Petrus eſt homo,
Ergo aliquis homo eſt albus.

Secundò diuiditur ratione materiæ, ſeu rei, de qua fit Syllogiſmus, in Demonſtratiuum, Topicum, & fallacē, de quibus in ſequētibus.

CAPVT VI.

De ijs quæ continentur in libris Poſteriorum, Analyticorum, ſeu de demonſtratione.

1. *Quæ ſunt, de quibus hìc agit Ariſtoteles?* Tria, ſcilicet præerequiſita ad Demonſtrationem; ipſa demonſtratio, & effectus eius nempe Scientia. *De*

De Prærequiſitis ad Demonſtrationem.

2. Q*Vare prærequiruntur aliqua ad Demonſtrationem?* quia omnis noſtra cognitio, quæ ratione perficitur, ex alia cognitione procedit, ſcilicet ex cognitione prncipiorum, ideò præexiſtere debet ad demonſtrationem, quæ eſt cognitio Concluſionis: vnde Ariſtoteles ſtatuit hanc propoſitionem tanquam certiſſimam OMNIS DOCTRINA, OMNISQVE DISCIPLINA EX PRÆEXISTENTI FIT COGNITIONE.

3. *Quot ſunt præcognoſcenda?* Tria, ſcilicet Principium, ſubiectum, & paſſio. *Principium* quidem, ſcilicet vtraque præmiſſa, quia ex ea deducitur Concluſio: *Subiectum* verò, & *Paſſio*, quia in demonſtratione paſſio oſtenditur de ſuo ſubiecto. De principio præcognoſcitur *an ſit verum*, quia veritas Concluſionis dependet ex veritate principiorum. De ſubiecto præcognoſcitur *quid ſit:* eo quod eſſentia ſubiecti non demonſtratur, ſed ex ipſa fit demonſtratio paſſionis: *Quid ſit* autem ſupponit *an ſit*. De paſſione tandem præcognoſcitur *Quid nominis*, id eſt quid ſignificetur hoc nomine: Duæ igitur ſunt præcognitiones, ſeu modi præcognoſcendi, ſcilicet *an ſit*, & *quid ſit:* Tria vero præcognita, ſcilicet principium, ſubiectum, & paſſio V. G. in hac demonſtratione.

Omne

Omne animal rationale eſt ſcientiarum capax
Sed omnis homo eſt animal rationale ;
Ergo omnis homo eſt ſcientiarum Capax.

Debet præcognoſci de duabus præmiſſis an ſint veræ;ſi enim intellectus dubitet de illis, non poteſt habere certam cognitionem de concluſione:pręcognoſcitur etiam de ſubiecto,ſcilicet de homine quid ſit,cum eius definitionem contineat Minor propoſitio: tandem de propria paſſione ſcilicet *Scientiarum Capax*, præcognoſcitur quid nominis, quia non poterit Concludi hominem eſſe Scientiarum Capacem, ſi ignoretur quid ſignificet ille terminus *Scientiarum Capax*.

4. *Præmiſſæ ſuntne Cauſa Concluſionis?* Etiam; quia producunt illam ideò dicitur Cōcluſio virtute cōtineri in præmiſſis,ſicut effectus in virtute ſuæ cauſæ: fruſtra enim pręmitterentur pręmiſſę, ſi nihil efficerent.

5. *In quonam genere dicuntur Cauſa Concluſionis?* Diſtinguendum eſt, nam dupliciter ſumi poſſunt præmiſſæ,ſcilicet obiectiuè,& formaliter. *Obiectiuè* ſunt res ipſæ, & ideò concurrunt in genere cauſę materialis,id eſt præbent materiam, ex qua conficitur Concluſio: *Formaliter* verò ſumuntur ſecundùm quod important aſſenſus, & ſecundùm hoc concurrunt in genere cauſæ efficientis; nam vnus aſſenſus cauſat efficiēter alium,illuminando illum, cùm illuminatio ſit in genere cauſæ efficientis. Eſt autem Cauſa iuſtrumentalis, non principalis: quia eo vtitur intellectus

tellectus ad aſſentiendum Concluſioni.

6. *Neceſſitantne præmiſſæ intellectum ad aſſentiendum Concluſioni?* etiam, tùm quoad ſpecificationem, tùm quoad exercitium: quoad ſpecificationem quidem, quia circa verum, vt verum, non poteſt dari diſſenſus, ſicut nec circa falſum aſſenſus; eo quod verũ eſt obiectum intellectus: æqui poſitis præmiſſis euidentibus, Concluſio cognoſcitur euidenter vera, ergo circa illam non poteſt dari diſſenſus; & ità neceſſitatur intellectus ad aſſentiendum Concluſioni, quantùm ad ſpecificationem: id eſt, quòd talem ſpecie actum producere debet, nempè aſſenſum. Neceſſitatur etiam quantùm ad exercitium, quia poſita Cauſa naturali neceſſariò ponitur effectus; aſſenſus autem eſt quædam Cauſa naturalis; quia eſt lumen Concluſionis, & ideò poſito aſſenſu præmiſſarum, ſtatim, & naturaliter ponitur aſſenſus Cõcluſionis: cum enim illuminatio fiat in inſtanti, Minor ſimul tempore cum Concluſione cognoſcitur; ergo neceſſitatur intellectus ad aſſentiendũ concluſioni, etiam quoad exercitiũ.

7. *Nonne poteſt impediri à Voluntate?* Poteſt quidem indirectè; id eſt retrahendo intellectum ne cogitet de præmiſſis, ſed ſi conſentiat quod intellectus euidentibus præmiſſis, & veris præſtet aſſenſum, non poteſt poſtea voluntas etiam quantùm ad exercitium impedire aſſenſum concluſionis.

8. *Quænã ſũt Cõditiones quas habere debent propoſitiones, vt ſint præmiſſæ demõſtrationis?*

Prima

Prima eſt quòd illæ propoſitiones ſint veræ, aliàs Concluſio, quæ ex eis deducitur, non eſſet vera vi demonſtrationis. *Secunda* quòd ſint primæ, & immediatæ: *Prima* autem, & *immediata* dicitur illa propoſitio, quia non eſt alia prior, per quam cognoſcatur. *Tertia* quòd ſint Cauſa Concluſionis, id eſt contineant cauſam concluſionis, quæ eſt ſubiectũ reſpectu ſuæ propriæ paſſionis; Cauſa quidem in eſſendo, nam ſemper præmiſſæ ſunt Cauſa Concluſionis in cognoſcendo. *Quarta* quòd ſint priores, & notiores; quod habent ex eo quod ſunt Cauſa, nam Cauſa ſaltem natura eſt prior, & notior ſuo effectu. *Quinta*, quòd ſint per ſe notæ, nam aliàs daretur proceſſus in infinitum, ſi id, per quod aliud notificatur, indigeret alio notificante, quod eſt inconueniens: ergo ſiſtendũ eſt in aliquo per ſe noto: quod habẽt ex eo quòd ſunt primæ & immediatæ. Poteſt autem Dupliciter propoſitio eſſe per ſe nota, ſcilicet ſecũdùm ſe, & quoad nos: per ſe nota ſecundùm ſe, quando prædicatũ eſt de eſſentia ſubiecti, vel propria eius paſſio; quoad nos verò, quando ipſa cõnexio prædicati cum ſubiecto eſt nota nobis, incipit autem nota eſſe per experientiã, quia omnis noſtra Cognitio ex ſenſu oritur. *Sexta*, vt earum prædicata ſint *de omni, per ſe, & ſecundùm quod ipſum*. Prædicatum *de omni* eſt, vt definit Ariſtoteles, quod non cuidam ineſt, & cuidam non ineſt, aliquando competit, aliquando non competit, ſed omni, & ſemper, ita, vt nihil ſit ſumere

ſub ſubiecto, cui non inſit prædicatum, nec ſit accipere tempus vllum, in quo prædicatum ſubiecto non inſit, vt *omnis homo eſt animal.* Prædicatum *per ſe*, dicitur quatuor modis, *Primò* quando eſt eſſentiale rei, vt homo eſt rationalis; *Secundò* Quando eſt proprium eius, vt homo eſt admiratiuus; *Tertiò* quando dicit exiſtere per ſe, & non in alio, vt homo eſt ſubſtantia. *Quartò*, Cum dicit cauſare per ſe, & non per accidens, vt medicus medetur. Tandem prædicatum *ſecundùm quod ipſum* eſt illud, quod dicitur vniuerſale ſecundùm quandam adæquationem, quatenus, nec ſubiectum ſine ipſo, nec ipſum ſine ſubiecto inuenitur, quod eſt reciprocè dici. Tria autem requirit, ſc. vt ſit de omni, per ſe, primo, vel ſecundò modo, &, vt dicatur conuerſim, ſeu reciprocè, vt *homo eſt riſibilis.* Hæc tria prædicata ſe habent ſicut ſuperiora, & inferiora, nam omne prædicatum ſecundùm quod ipſum, eſt Prædicatum per ſe, & de omni, non è conuerſo; & omne prædicatum per ſe eſt de omni, non è contra.

9. *Quomodo Diuiditur propoſitio immediata?* Diuiditur in Poſitionem, ſeu Theſim, & Dignitatem, ſeu Axioma. *Poſitio* eſt propoſitio indemonſtrabilis, quam non neceſſe eſt ſcire eum, qui aliquid diſcere parat, vt quod omnes anguli recti ſint æquales. *Dignitas* verò, ſeù *Axioma* eſt Propoſitio Indemoſtrabilis, quam neceſſe eſt tenere eum, qui diſcere aliquid inſtituit, vt quòd omne totum ſit maius ſua parte. Dignitas in-

nulla

nulla ſcientia probatur; Poſitio autem in ſuperiori poteſt probari.

De Eſſentia, & Speciebus Demonſtrationis.

10. QVid eſt demonſtratio? Duplicem affert definitionem Ariſtoteles: prima talis eſt: DEMONSTRATIO eſt: Syllogiſmus procedens ex veris, primis, & immediatis, notioribus, prioribus, cauſiſque Concluſionis. Secunda talis eſt: DEMONSTRATIO eſt ſyllogiſmus faciens ſcire. Prima definitio eſſentialis eſt, traditur enim per cauſam materialem: Secunda eſt deſcriptiua, quia traditur per cauſam finalem.

11. *Quotuplex eſt Demonſtratio?* Duplex? *propter quid*, & *quia*. Prima probat non ſolum paſſionem ineſſe ſubiecto, ſed etiam oſtendit propter quid illi conueniat, quod fit adducendo in præmiſſis propriam, & adæquatam cauſam talis paſſionis, vt in ſuperiori exemplo videre eſt *num.* 3. Secunda verò ſcilicet Demonſtratio *quia* eſt illa, quæ tantum oſtendit paſſionem conuenire ſubiecto, non autem adducit propter quid illi conueniat, ſed procedit, vel per cauſam remotam, vel inadæquatam, vel etiam per effectum. Demonſtrationi *propter quid* conuenit vtraque definitio ſuperiùs allata; alteri verò, ſecunda tantùm. Exemplum demonſtrationis. *Quia* ex Anacharſide à cauſa remota deſumptæ.

Vbi non ſunt vites, non ſunt Cantores.

Sed

Sed apud Scythas non ſunt vites,
Ergo apud Scythas non ſunt Cantores.

Vites namque ſunt quidem cauſa cantus, ſed valdè remota, nam vites ſunt cauſa Vuarum, Vuæ cauſa vini, vinum cauſa lætitiæ, & lætitia cauſa cantus.

12. *Hæc diuiſio eſtne adæquata?* etiam, quia fit per membra contradictoriè oppoſita, ſcilicet propter quid, & non propter quid; *quia* enim comprehendit omnes Demonſtrationes, quæ non ſunt *propter quid*.

13. *Eſtne generis in ſpecies?* Etiam, quia licet Demonſtratio propter quid ſit perfectior alia; tamen vtraque participat eſſentiam Demonſtrationis, quæ eſt procedere ex certis, & neceſſarijs, & poſſe generare ſcientiam.

14. *Producitur ne vera ſcientia per Demonſtrationem* (quia;) Etiam, eo quod producitur aliquis habitus certus, & euidens, qui non poteſt eſſe alius, quàm Scientia: Opinio enim, & fides non ſunt habitus certi, & euidentes. Dicitur tamen illa, Scientia imperfecta, & habens ſtatum Diſpoſitionis, quoad vſque aduenìat Demonſtratio *propter quid*, per quam perfecta fit: quia perfecta cognitio non habetur, niſi per Cauſam perfectam, & adæquatam, propter quam Res eſt: quam adducit ſola Demonſtratio *propter quid*.

15. *Poteſtne fieri demonſtratio de quacunque propoſitione?* Non, quia daretur proceſſus in infinitum: ſunt ergo aliquæ propoſitiones inde-

indemonſtrabiles, nempe prima principia, vt ſupra dictum eſt.

16. *Quas conditiones habere debent propoſitiones demonſtrabiles?* Prima eſt, vt ſint circa materiam neceſſariam, quia aſſenſus ſcientificus circa concluſionem illatam debet eſſe certus, & firmus. Secunda, vt per aliquod medium manifeſtari poſſit; aliàs eſſet indemonſtrabilis. Tertia, vt ſit de Vniuerſalibus, perpetuis, & ex proprijs procedat principijs. Notandum eſt ex D. Th. *Opuſc. de Syll. demonſt. c.* 9. *&* 10. Demonſtrationem, quam vocat potiſſimam, id eſt rigoroſam affirmatiuè concludentem, fieri tantùm in primo modo primæ figuræ; negatiuè verò in ſecundo modo ſecundæ figuræ.

17. *Quænam eſt alia Demonſtrationis diuiſio?* Diuiditur in Demonſtrationem *à priori*, id eſt, per cauſam, quæcumque illa ſit, proxima, vel remota; & Demonſtrationem *à poſteriori*, ſcilicet per effectum.

18. *Quid eſt* CIRCVLVS *in Demonſtratione?* Eſt progreſſus à principijs ad concluſionem, & regreſſus à concluſione ad principia. Dupliciter fit, primò, quando ad probanda principia aſſumitur concluſio nota tantùm ex ipſiſmet principijs, vt ſi probetur hominem eſſe riſibilem, quia rationalis eſt, rurſus eſſe rationalem, quia riſibilis eſt. Secundò, quando ad probanda principia aſſumitur Concluſio nota ex alijs principijs, vti Ariſt. 2. *poſt. c.* 13. docet poſſe demonſtrari pluuiam ex abundantia vaporum, & rursùs abundantiam

tiam vaporum ex pluuia. Primus circulus vocatur formalis,& vniformis, eſtque vitioſus; quia ſic idem eſſet reſpectu eiuſdem, notius, & ignotius, quod implicat: Secundus vocatur materialis, & difformis, quo vti licet; vt in exemplo allato, vbi pluuia non ſolum ex vaporibus, ſed ex experientia notificari poteſt, & deinde vapores notificare.

De Effectu Demonſtrationis, nempè Scientia.

19. QVid eſt SCIENTIA? Eſt habitus per Demonſtrationem acquiſitus; id eſt qualitas quædam intellectualis, qua certò rem aliquam cognoſcimus media demonſtratione; Per vltimam hanc particulam differt ſcientia ab habitu primorum principiorũ, qui eſt de indemonſtrabilibus; Scientia verò de demonſtrabilibus. Datur itaque Scientia contra academicos, & ſcepticos, qui omnia tanquam incerta in diſputationem vocabant; ſic Socrates dicere ſolebat *vnum ſcio, quod nihil ſcio*. Arceſilas Academię conditor omnia falſa dicebat, quæ ſenſibus viderentur: Zeno aliqua tantùm; Epicurus omnia quæcumque. Datur inquã Scientia, nam compertum eſt certam aliquam dari cognitionẽ, quæ non eſt reminiſcentia Platonis, ſed demonſtrationis partus.

20. *Quid eſt ſcire?* Eſt cognoſcere rem per cauſam, & quòd illius cauſa eſt, & quòd aliter res ſe habere non poteſt. Vel eſt rem certa, & firma intellectus cognitione percipere.

pete. Scire primo modo conuenit demonſtrationi *propter quid;* altero verò modo, demonſtrationi *Quia*.

21. *Euidentia eſtne de ratione Scientiæ?* Euidentia radicalis eſt de ratione ſcientiæ, non autem actualis, vt patet de ſcientia ſubalternata, quæ in abſentia ſubalternantis, non habet euidentiam actu (niſi in atteſtante,) petit tamen ex ſe coniungi cum ſubalternante, à qua habet euidentiam. Et ſic verum eſt, quod dicit D. Th. *2.2. q.1. a. 5. c.* omne ſcitum aliquo modo eſſe viſum; id eſt euidens. Certitudo autem etiam actualis eſt de ratione cuiuſcumque ſcientiæ, per certitudinem namque ſcientia differt ab opinione, quæ eſt cum formidine.

22. *Quid eſt Euidentia?* Eſt clara rei per ſeipſam manifeſtatio; illa enim videri dicuntur, quæ per ſeipſa mouent intellectum, vel ſenſum viſus.

23. *Quid eſt Certitudo?* Eſt firma determinatio, ſeu adhæſio intellectus ad vnum.

24. *Quotuplex eſt Scientia?* Primò diuiditur in *ſubalternantem*, & *ſubalternatã*, ſeu ſuperiorem, & inferiorem, de quibus infrà. Secundò in ſcientiam *diuinam*, quæ de Deo; & *humanam*, quæ de creaturis agit. Tertiò in Scientiã *infuſam*, quæ à Deo datur; & *acquiſitam*, quæ labore noſtro comparatur. Quartò in *ſpeculatiuã*, quæ de aliquo intelligibili; & *practicam*, quæ de re operabili tractat. Quintò in *perfectam*, quæ per demonſtrationem (propter quid) acquiritur; & in *imper-*

fectam, quæ per demonſtrationem, (Quia) habetur. Quando verò habentur omnes alicuius ſcientiæ concluſiones, non ſolùm dicitur perfecta, ſed etiam eſſe in ſtatu perfecto; ſecùs, in imperfecto. Sextò in *actualem*, & *habitualem*: hæc remanet etiam nobis dormiẽtibus, illa dum actualiter cogitamus. Septimò in *apprehenſiuam*, & *comprehenſiuam*: hæc cognoſcit rem omnibus modis, quibus eſt cognoſcibilis, non verò illa. Octauò ratione obiecti, in *realem*, & *rationalem*: hæc habet Ens rationis pro obiecto, V. G. Logica; illa verò Ens reale, vt Phyſica.

25. *Quotuplex eſt modus ſubalternationis ſcientiarum?* Triplex: primus eſt ratione Finis, quando vna ſcientia reſpicit finem ſuperioris, vt frę nifica reſpectu equeſtris. Secundus ratione Principiorum, quando inferior mutuatur ſua principia à ſuperiori; ſicut Medicina reſpectu Phyſicæ. Tertius ratione Subiecti, ſeu Obiecti, quando obiectum inferioris continetur ſub obiecto ſuperioris, vt Muſica reſpectu Arithmeticæ. Primus modus eſt imperfectus, quia non ſemper præbet manifeſtationem veritatis, ſed ſolùm miniſterium ad imperium: ſecundus paulò proprior eſt: at tertius maximè proprius eſt, continetque ſecundum.

26. *Quot requiruntur ad illam veram ſubalternationem?* Tria: primum, vt ſubiectum ſubalternatæ contrahat ſubiectum ſubalternantis, aliquid ſuperaddendo: aliàs pertineret ad ipſammet ſcientiam. Secundum, vt

id,

id, quod additur ſit differentia quædam extranea, & accidentalis; ſi enim adderet differentiam eſſentialem, aut propriam paſſionem, non conſtitueret aliam ſcientiam, quia ad eandem pertinet agere de genere, & de ſpeciebus eius, ac proprietatibus talis rei V. G. Phyſica tractat de motu, & ſpeciebus eius, de animali, & ſpeciebus eius &c. Tertium, quòd differentia illa accidentaria ſit in tali Materia, & obiecto, principium ſpecialium paſſionum, & veritatum, per principia ſuperioris ſcibilium; vt patet in Muſica cuius obiectum eſt Numerus ſonorus: nam Primò contrahit obiectum arithmeticæ; ſcilicet numerũ vt ſic, addendo ſonoreitatẽ: Secundò habet differentiam accidentalem, ſonus enim non eſt de eſſentia numeri: Tertiò eſt principium aliquarum veritatum in Muſica ſcibilium, nempè omnium conſonantiarũ, quæ ex numero ſonoro dimanant.

27. *Scientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis eſtne vera Scientia?* Ita eſt (ſed imperfecta ratione ſtatus,) quia eſt habitus ex certis principijs procedens; quorum tamen non habet euidentiam, niſi in atteſtante; ſed credit illa. V. G. Muſicus credit principia ſibi tradita ab Arithmetico illa atteſtante eſſe vera: & hæc atteſtatio ſufficit, vt excludat omnem formidinem, & hæſitationem à mẽte Muſici, quia Arithmeticus, vt ſciens eſt, & vt Arithmeticus, fallere nõ poteſt; ergo tunc Muſica erit certa, & cõſequenter vera Sciẽtia, ſed inferior ex ſe, poſtulans coniungi cũ ſuperiori.

28. *Scientia eſtne ſimplex qualitas, an compoſita ex pluribus partialibus habitibus?* Eſt ſimplex qualitas; aliàs eſſet ens per accidens, nec vera qualitas, quod nemo dixit.

29. *Vndenam ſumitur vnitas, & diſtinctio Scientiarum?* Vnitas, & diſtinctio generica ſumitur ex abſtractione à Materia: ſpecifica ex obiecto in eſſe obiecti, ſeu in eſſe ſcibilis, non in eſſe rei: numerica verò ex ſubiecto in quo eſt, & à quo indiuiduatur, ſicut cætera accidentia.

30. *Quotuplex eſt* ABSTRACTIO *à materia?* Triplex: à Materia ſingulari, quę ſingulariter exiſtit: à Materia ſenſibili, quæ ſenſibus peruia eſt: & à Materia intelligibili, quæ intellectu tantùm capitur.

31. *Quare ab abſtractione à Materia ſumitur vnitas, vel diſtinctio generica?* Quia omnis Scientia debet abſtrahere ab aliqua Materia, nam nihil eſt intelligibile niſi immateriale, ergo ſecundùm diuerſum modum abſtrahendi à Materia erit diuerſa immaterialitas, & diuerſa intelligibilitas, & conſequenter diuerſa Scientia: hæc autem diuerſitas non poteſt eſſe niſi generica, quia intra eandem abſtractionem à Materia, multæ reperiuntur ſcientiæ ſpecie diuerſæ.

32. *Quare vnitas, & diſtinctio ſpecifica petitur ex obiecto?* quia ſpecificatio omnis potentiæ, & habitus ſumitur ex obiecto: eo quòd potentię, & habitus ſunt quędam tendentię, vel qualitates tendentes in ſua obiecta ad illa percipienda, V. G. viſus ad percipiendum

colo-

colorem,Phyſica ad cognoſcendum Ens mobile: Ergo ſecundũ vnitatem, vel diſtinctionem obiecti in eſſe obiecti, id eſt formaliter ſumpti,erit vnitas, vel diſtinctio ſcientiarũ.

33. *Quomodo obiectum dicitur vnum in eſſe obiecti, & ſcibilis?* Quando ea, quæ tractantur in aliqua Scientia conueniunt in vna ratione formali (V. G. omnia Phyſicalia in vna ratione formalis Entis mobilis,) quæ ab ijſdem principijs procedit intra eandem abſtractionem. Igitur hæc tria ſunt neceſſaria ad vnitatem ſpecificam: eadem abſtractio, eadem principia, & eadem ratio formalis, quæ de omnibus demonſtratur, de quibus fit ſermo in illa Scientia.

34. *Quandonam ſunt eadem principia?* Quando pendent ab inuicem, fiuntque ex alterutris; vt in Phyſica, principia, & definitiones, tractatus de anima, fiunt ex principijs librorum Phyſicorum.

35. *Quare materialis diuerſitas obiecti, ſeu in eſſe Entis, non diuerſificat Scientias?* Quia Scientia nõ reſpicit obiectum formaliter, vt eſt,ſed formaliter,vt eſt ſcibile,& ita ſi multa entia diuerſa in Eſſe, conueniant in vna ratione ſcibilis, eſt tantùm in illis vna ſcibilitas, & cõſequenter ſunt vnum tantùm obiectum in eſſe ſcibilis, pertinentque ad vnam Scientiam,vt Cœlum,& homo in eſſe,mobilis. E contra verò,ſi vnum Ens habeat diuerſas rationes formales,ſub quibus poſſit attingi,habet diuerſas ſcibilitates, & ad diuerſas Scientias pertinet, vt patet de hominis cor-

pore, quod, vt mobile pertinent ad Phyſicam; vt ſanabile, ad Medicinam.

36. *Quænam Scientię abſtrahunt à Materia ſingulari?* Phyſica, Medicina, Perſpectiua, Aſtrologia, Coſmographia, Machinatiua, & quæ ab ijs dependent.

37. *Quænam à Materia ſenſibili?* Superiores Mathematicæ ſcilicet Geometria, & Arithmetica; nam inferiores, vt Muſica &c. quantum ad principia abſtrahunt quidem à Materia ſenſibili, ſed quoad concluſiones abſtrahunt à Materia ſingulari tantùm.

38. *Quænam tandem à Materia intelligibili abſtrahunt?* Theologia, Metaphyſica, & Logica. Quamuis autem Theologia, & Metaphyſica, quæ tractant de Deo, ſint ſub eadem abſtractione, tamen differunt genere propter diuerſitatē Luminis ſupernaturalis, Theologiæ; & naturalis, Metaphyſicæ.

39. *De quibuſnam eſt Scientia?* De Vniuerſalibus, perpetuis, & neceſſarijs: de mobilibus autem, & contingentibus ſecundùm quòd in eis eſt aliquid neceſſarium, Vniuerſale, & immobile: quia Scientia eſt habitus certus, & firmus, contingentia autem, & particularia, vt talia, non ſunt certa, & firma; quamquam ſit in eis aliquid certum, & firmum, vt ait D. Th. 1. *p. q.* 84. *a.* 1. *c.*

40. *Omnes concluſiones, quę in qualibet Sientia traduntur, ſuntne certæ, & firmæ?* Nequaquam, ſed plurimæ ſunt tantùm opinatiuæ, quia caligat ſæpè oculus noſter ad clariſſima naturæ, & differentias rerum ignoramus,

ramus, ideo concluſiones omnes non ſunt demonſtratiuæ.

41. *Quot requiruntur Demonſtrationes ad habendam aliquam Scientiam?* Vnica ſufficit quantùm ad ſtatum ſcientiæ imperfectum, ſed ad perfectum requiruntur, quotquot haberi poſſunt circa obiectum talis Scientiæ.

42. *Intra eandem Scientiam reperiunturne variæ, & nouæ difficultates?* Accidentales quidem reperiuntur, non eſſentiales: accidentalis autem difficultas prouenit ex defectu applicationis, & exercitij, eſſentialis verò ex ipſa ratione formali Scientiæ, quæ Vnica eſt.

43. *Vndenam ſumitur Scientiæ vnius dignitas ſupra aliam?* In ſpeculatiuis ſumitur dignitas ex certitudine, & nobilitate materiæ, ſeu obiecti: in practicis verò, ex nobiliori, & ſuperiori fine.

44. *Quænam Methodus ſeruatur in Scientijs tradendis?* Aliquando Synthetica, ſeu compoſitiua, quæ eſt, cum ab effectibus ad cauſas, à medijs ad finem progreditur: vt cùm quæritur an Logica ſit Sciẽtia, deinde an ſit ſpeculatiua, tandem quodnam ſit eius obiectum, vt ſic habeatur integra notitia Logicæ, qua dicitur eſſe Scientia, ſpeculatiua, Secundæ intentionis obiectiuę. Aliquando Analytica, ſeu reſolutiua, cùm è cõtra cauſa in effectus, totum in partes, & finis in media reſoluitur, vt cum quæritur Primò quid ſit Vniuerſale in communi, deinde in particulari ſpecies vniuerſaliũ pertractantur. Quæ quidem am-

bæ mutuò ſe iuuant. Prima multitudinem colligit ad vnitatem, Secunda vnitatem ſoluit in multitudinem. Sed illa Methodus ſemper eſt obſeruanda, quæ à facilioribus incipit: quia ordo naturæ, & doctrinæ eſt ab imperfectis ad perfecta procedere; faciliora autem ſunt, quæ nobis notiora ſunt, & ideò imperfectiora, quàm, quæ ſunt nota ſecundùm ſe: quare aliquando procedimus à partibus ad totum, aliquando à toto ad partes, aliquando à particularibus ad communia, & aliquando à communioribus ad particularia.

45. *Quomodo acquiritur Scientia?* Primò per inuentionem propriam, ſecundò per doctrinam ab alio traditam, vt ait D. Th. 1. *p. q.* 117. *a.* 1. & vtrumque ex admiratione cœpit.

46. *Quinam impediuntur à Scientijs acquirendis?* Qui ſtupidi, & hæbetes ſunt, qui varijs negotijs occupantur, quique pigritia laborant: primum impedimentum eſt naturale, ſecundum Morale, tertium voluntarium.

47. *Quid Scientiæ opponitur?* Ignorantia, quæ duplex eſt, vna puræ negationis, quæ propriè appellatur ſcientia, id eſt pura Scientiæ abſentia; altera prauæ diſpoſitionis, nempè, vel ex errore in intellectu, vt qui neſcit Logicam eſſe ſpeculatiuam, quia putat eſſe practicam; vel ex malo voluntatis affectu, vt cum quis non vult addiſcere, quod ſcire tenetur: & hæc propriè Scientiæ opponitur.

De

De comparatione cæterorum habituum Intellectus cum Scientia.

47. QVinam ſunt habitus Intellectus? Alij ſunt euidentes, & certi, alij ineuidentes, & incerti. Euidentes ſunt quinque, ſcilicet, Intelligentia, Sapientia, Scientia, Prudentia, & Ars. *Intelligentia* eſt, qua cognoſcimus Prima Principia indemonſtrabilia, ideò vocatur habitus primorum principiorum. *Sapientia* eſt cognitio rei per altiſſimas cauſas. *Scientia* eſt cognitio rei per cauſam, vel effectum. *Prudentia* eſt recta ratio operum à nobis agibilium. *Ars* eſt recta ratio factibilium.

48. *Quot ſunt habitus ineuidentes, & incerti?* Tres, ſcilicet Opinio, fides, & ſuſpicio. *Opinio* eſt aſſenſus ob rationem probabilem, cum formidine partis oppoſitæ. *Fides* eſt aſſenſus ab authoritatem dicentis. *Suſpicio* tandem eſt aſſenſus ex aliquo leui ſigno. His additur *Dubitatio*, quæ eſt actus ſuſpendens aſſenſum vtriuſque partis.

49. *Suntne incerti eſſentialiter?* Etiam, quia ratio probabilis, & authoritas dicentis, (intellige in humanis) ſunt fallibiles, & multo magis ſignum leue.

50. *Poteſtne Opinio, vel fides ſtare cum Scientia circa eandem rem omninò, & in eodem intellectu?* Nullo modo, id eſt, neque, vt habitus cum habitu, neque, vt actus cum actu, neque, vt actus cum habitu, & è contra. Quia cer-

tum, & incertum opponuntur priuatiuè, & vnum neceſſariò deſtruit aliud; ſimiliter euidens, & ineuidens: atqui Scientia eſt certa, & euidens, opinio verò, & fides humana incertæ, & ineuidentes; fides autem diuina licet ſit certa, eſt tamen eſſentialiter ineuidens, ergo actus ſcientificus neceſſariò deſtruit actum opinionis, & fidei circa eandem rem; ſi actus ſtare non poſſunt, neque quoq; habitus, qui ex actibus generantur. Quando igitur in Intellectu eſt Opinio, vel fides alicuius rei, ſi adueniat demonſtratio talis rei, ſtatim perit tum actus, tum habitus fidei, & Opinionis; quamuis remaneat cognitio Syllogiſmi probabilis, ex quo generata fuerat Opinio; ſicut, & cognitio authoritatis Dicentis, ex qua generata fuerat fides; ſed habita Scientia cognitiones illæ, iam ampliùs non ſunt incertæ, & ineuidentes; quod quidem non habent ex ſe, ſed ex coniunctione cum certitudine, & euidentia Scientiæ: ſicque reipſa tolluntur Fides, & Opinio, quæ ineuidentiam, & incertitudinem eſſentialiter annexam habent.

CAPVT VII.

In octo libros Topicorum.

1. Qvid eſt Syllogiſmus probabilis, ſeu topicus? Eſt ille qui conſtat probabilibus. PROBABILIA ſunt, quæ videntur omni-

omnibus, aut plurimis, aut ſapientibus, & ijs quidem, aut omnibus, vel plurimis, vel maximè cognitis, & probatis. Vtique cum formidine partis oppoſitæ videntur, aliàs ſcientifica, non probabilia dicerentur.

2. *Vndenam dicitur topicus?* A locis dialecticis, ex quibus eruuntur argumenta probabilia circa omnes materias conficienda.

3. *Quid eſt* LOCVS DIALECTICVS. Eſt ſedes, ſeu Index argumenti: vt enim earum rerum, quæ abſconditæ ſunt, demonſtrato loco, facilis eſt inuentio; ſic cùm peruestigare Argumentum volumus, Locos noſſe debemus. Argumentum autem probabile eſt inuentum ad faciendam fidem, id eſt, eſt Medium deſumptum ad aliquid probandum. Et ita differt ab argumentatione, quæ non ſolum Medium, ſed totam complectitur ratiocinationem.

4. *Quinam ſunt præcipui Loci, ex quibus deſumuntur argumenta dialectica?* Sunt Loci à Definitione, à Diuiſione, à Deſcriptione, à Notatione nominis, à Coniugatis, à Toto, à Partibus, à Cauſis, ab effectibus, ab Antecedentibus, Concomitantibus, Conſequentibus, Similibus, Diſſimilibus, à Minori ad Maius, à Maiori ad Minus, ab Oppoſitis, & ab Authoritate, tam diuina, quam humana. Ab vnoque autem eorum ſumuntur quædam *Maximæ*, ſeu *Axiomata* ad conficiendum argumentum. V. G. à Definitione; *Cuicunque* conuenit Definitio, conuenit, & definitum; atqui &c. ſic de alijs.

5. *Quid*

5. *Quid eſt* MAXIMA? Eſt propoſitio, qua non eſt alia prior.

6. *Quid probatur per argumenta ex illis Locis deſumpta?* Quodcumque Propoſitum, & Problema.

7. *Quid eſt propoſitum, ſeu propoſitio dialectica?* Eſt interrogatio alterius partis contradictionis, vt ſi dicas; putas ne animal rationale eſſe definitionem hominis?

8. *Quid eſt problema?* Eſt Inrerrogatio vtriuſque partis contradictionis, vt ſi quæras, an Cœlum ſit corruptibile, necne?

9. *Quot ſunt genera problematum, & propoſitionum dialecticarum?* Quatuor; ſcilicet Problema Definitionis, Generis, Proprij, & Accidentis: & ſic ſunt tantùm quatuor prædicata dialectica nempè. *Definitio, Genus, proprium,* & *Accidens.* Nam prædicatum eſt id, quod de re aliqua quæritur; quatuor autem tantùm quæri poſſunt, ſcilicet quid ſit, & eſt eius Definitio: in quo prædicamento ponatur, & eſt Genus; quas proprietates habeat, & quæ accidentia communia, & eſt Proprium, & Accidens: ergo ſunt tantùm quatuor prædicata dialectica, quæ de ſubiecto quæruntur, ſubiectum autem eſt Species.

10. *Nonne Definitio habet neceſſariam connexionem cum re definita, vt non dicatur prædicatum dialecticum?* habet quidem, ſed hoc non videtur omnibus, & ita de hoc poteſt eſſe interrogatio, & problema dialecticum.

CA-

CAPVT VIII.

In 4. Libros Elenchorum.

1. DE *quonam hic tractat Ariſtoteles?* De Syllogiſmo Sophiſtico, ſeu fallaci.

2. *Quid eſt Syllogiſmus Sophiſticus?* Tripliciter definitur: Primò ratione Materiæ, qua conſtat ſic: Eſt Syllogiſmus conſtans propoſitionibus apparentibus, id eſt apparentis tantùm veritatis. Secundò ratione formæ: Eſt Syllogiſmus, qui videtur rectè concludere, nec tamen rectè concludit. Tertiò ratione finis: Eſt Syllogiſmus inducens in errorem, aut falſam opinionem.

3. *Quotuplex eſt Syllogiſmus Sophiſticus?* Triplex; ſcilicet Litigioſus, Apparens, & Paralogiſmus. Primus, & tertius veram ſeruant argumentandi formam, non ſecundus. Primus ex apparenter probabilibus procedit. V. G. quidquid non amiſiſti habes, ſed, &c. Tertius ex apparenter neceſſarijs, vt, omnes lineæ ductæ à centro ad circunferentiam ſunt æquales; eſt enim principium Geometricum, ſed non niſi de lineis rectis intelligitur, non de curuis.

4. *Quiſnam eſt communis Sophiſtarum finis?* Eſt captioſis argumentationibus alios in conflictu irretire: ſimulatamque ſapientiam oſtentare: aliquando quoque ad experimentum de reſpondente ſumendum.

5. *Quomodo id præſtare conantur.* Ducendò

do reſpondentem ad aliquod inconueniens, & fallaciam, qua capiatur, niſi ſe ſe ab his laqueis ſciat expedire.

6. *Quid eſt Fallacia?* Eſt modus fallendi, vel locus, ex quo modus ille deſumitur.

7. *Quotuplex eſt Fallacia?* Duplex, alia in dictione, alia extra dictionem reperitur, in dictione ſunt ſex. Prima eſt *Æquiuocatio*, vt ſi dicas; *quidquid currit habet pedes, ſed acqua currit, ergo habet pedes*. Secunda eſt *Amphibologia*, ſeu ſermonis ambiguitas, vt. *Omnes Magiſtri ſunt homines: ſed iſti libri ſunt Magiſtri; ergo illi libri ſunt homines*. Tertia eſt *Compoſitio* quando à ſenſu diuiſo fit tranſitus ad compoſitum, vt: *Cæci vident*; (ſicut habetur Matt. 11.) *ſed qui carent viſu, ſunt cæci: ergo qui carent viſu vident*. Quarta eſt *Diuiſio*, quando è contra à ſenſu compoſito ad diuiſum fit tranſitus, vt: *Omne animal eſt rationale, vel irrationale; ſed non omne animal eſt irrationale; ergo omne animal eſt irrationale*. Quinta eſt *fallacia Accentus*, vt ſi dicas: *Quicumque occidit, moritur; ſed Sicarius occidit; ergo Sicarius moritur*. Sexta eſt *fallacia figuræ dictionis*, vt; *quod ego ſum, tu non es; ſed ego ſum homo: ergo tu non es homo*. Extra dictionem verò ſunt ſeptem. Prima eſt *fallacia accidentis*, quando id, quod accidens eſt alicui, tribuitur ei, tanquam aliquid proprium, & eſſentiale, vt: *Canis iſte eſt pater: ſed canis iſte eſt tuus: ergo eſt pater tuus*. Vel: *animal eſt genus; ſed homo eſt animal: ergo homo eſt genus*. Secunda eſt *Fallacia Conſequentis*,

quentis, Quando Conſequens non rectè deducitur ex antecedenti, vt: *ſi ignis eſt, calor eſt, ergo ſi ignis non eſt, calor non eſt*. Tertia eſt *Fallacia* à dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter, vt: *Cadauer eſt homo mortuus, ergo eſt homo*. Quarta eſt *Redargutio*, ſeu ignorantia Elenchi, quando infertur Concluſio tanquam contradictoria, quæ tamen contradictoria non eſt, vt: *Numerus quaternarius eſt duplus binario, & non eſt duplus ternario: ergo eſt duplus, & non duplus*. Quinta eſt *Fallacia* petitionis principij, vt ſi probes hominem eſſe iuſtum, quia non eſt iniuſtus; de hoc enim eſt quæſtio. Sexta eſt Fallacia non cauſæ, vt cauſæ, vt: *ſi nullum tempus eſſet, nox non eſſet: ſi nox non eſſet, dies eſſet: ſi dies eſſet, aliquod tempus eſſet: ergo ſi nullum tempus eſſet, aliquod tempus eſſet*. Similiter, ſi quis contendat Philoſophiam eſſe contemnendam, quia nonnulli ſcientijs abutentes Reipublicæ nocumento fuerunt. Septima tandem eſt *Fallacia* plurium interrogationum, vt vnius, vt ſi petat Sophiſta: *Homo, & Leo ſunt ne Animalia rationalia;* ſi enim concedas; *Ergo Leo eſt animal rationale:* ſi neges; *Ergo homo non eſt animal rationale*.

8. *Quot ſunt Metæ ad quas Sophiſta redigere Reſpondentem conatur?* Quinque; ſcilicet Reprehenſio, Falſum, Paradoxon, Solœciſmus, & Nugatio: quādo nimirum Sophiſta vi argumentationis cogit Reſpondentem concedere, quod negauerat, aut negare, quod conceſſerat; cogit concedere aliquid manifeſtè fal-

falſum: cogit concedere aliquid contra communem opinionem; cogit concedere orationem incongruam; & tandem inutilem repetitionem.

FINIS LOGICÆ.

TOTIVS PHYSICÆ CLARA, ET ACCVRATA SYNOPSIS.

De Proemialibus Phyſicæ.

QVid eſt Phyſica? Hæc omnium diſciplinarum iucundiſſima, quæ omnia naturę ſecreta perſcrutatur, opera perpendit, terras, & Maria luſtrat, cœlos adit, & ſydera, totam denique rerum naturalium molem ſinu ſuo complectitur, ſic rectè poteſt definiri: PHYSICA eſt Scientia ſpeculatiua Entis mobilis. Dicitur Scientia, quia res naturales per cauſas ſuas certò cognoſcuntur: dicitur ſpeculatiua, quia eſt de rebus non operabilibus: tandem dicitur ſpeculatiua Entis mobilis, tanquam obiecti ſui formalis, quod conſiderat. Obiectum eius igitur materiale ſunt quidem res omnes naturales, ſed formale exprimitur

per

per Ens mobile, quia Phyſica non tractat de re, ſeu corpore naturali in quantum corpus, ſed vt mobile eſt.

1. *Quotupliciter ſumitur mobile?* Dupliciter; ſcilicet accidentaliter, & ſubſtantialiter: primo modo non eſt obiectum Phyſicæ, quia *mobilitas* eſt proprietas, quæ de obiecto Phyſicæ demonſtratur: ſed ſecundo modo, quod vocatur *Mobile radicale*.

3. *Quænam eſt differentia inter Corpus naturale, Corpus mobile, Ens naturale. Ens mobile, Subſtantia naturalis, Subſtantia mobilis?* Secundùm rem nulla eſt; quia Naturale eſt, quod conſtat natura, quæ eſt principium motus: Mobile verò eſt, quod habet principium motus.

4. *Quare igitur potius exprimitur obiectum formale Phyſicæ per Ens mobile, quàm per Naturale?* Quia proprietates Phyſicales, ſcilicet motus, & ſpecies eius, formaliùs, & quodammodo prius conueniunt Mobili, quam Naturali; nam prius concipitur illud, quod habet motum eſſe Mobile quam Naturale.

5. *Quare exprimitur per Ens, non per Corpus mobile?* Quia motus definitur in ordine ad Ens non ad corpus: nam motus eſt actus *Entis* in potentia prout in potentia. Deinde notius eſt, & magis indubitatum mobile eſſe Ens, quàm corpus, vel ſubſtantiam. Tandem quia nulla ſcientia probat ſuum obiectum, Phyſica autem probat omne mobile eſſe corpus *in 6. Phyſ.* Ergo.

6. *Phyſica eſtne vna Scientia?* Etiam, quia licet

licet verſetur circa res tam varias, & diſtinctas in eſſe Entis, tamen illæ omnes conueniunt in vna ratione formali; ſcilicet, quòd ſint mobiles: Ergo eſt vna ſpecie atoma.

7. *In quot partes diuiditur Phyſica?* In quatuor: prima agit de Ente mobili in cõmuni, & vt ſic: ſecunda de mobili motu locali: Tertia de mobili motu alterationis, quæ ad generationem, & corruptionẽ terminatur: Quarta tandem de mobili motu augmentationis, & diminutionis, qui propriè reperitur in rebus animatis. Prima cõtinetur octo libris Phyſicorum: ſecunda libris de Cœlo, & Mundo, & de Meteoris: Tertia libris de Ortu, & Interitu: Quarta libris de Anima.

8. *Nonne ſunt alij libri Phyſicales?* Omnes ſimul ſunt 58. quos ab Ariſtotele habemus, quorum hæc eſt enumeratio.

8. *Phyſicorum ſeu de Phyſico auditu.*
4. *De Cœlo, & Mundo.*
2. *De generatione, & corruptione.*
4. *Meteorologicorum.*
1. *De Mundo ad Alexandrum.*
3. *De Anima.*
1. *De ſenſu, & ſenſibili.*
1. *De Memoria, & reminiſcentia.*
1. *De Somno, & Vigilia.*
1. *De Inſomnijs.*
1. *De Diuinatione per ſomnum.*
1. *De Animalium motione.*
1. *De longitudine, & breuitate vitæ.*
1. *De Iuuẽtute, & ſenectute, vita, & morte*

1. *De reſpiratione*.
1. *De Animalium inceſſu*.
1. *De ſpiritu*.
10. *De Hiſtoria Animalium*.
4. *De partibus Animalium*.
5. *De Generatione Animalium*.
1. *De mirabilibus auſcultationibus*.
1. *De Phyſiognomia*.
1. *De quæſtionibus mechanicis*.
1. *De audibilibus*.
1. *De coloribus*.
1. *De Inſecabilibus lineis*.

Liber de ſenſu, & ſenſibili, & ſequentes vocantur *parua naturalia*, quæ in curſu Philoſophico non ſolent explicari. Hæc de Proemialibus Phyſicæ: nunc accedendum eſt, ad ipſos Phyſicæ tractatus, iuxtà ariſtotelicum ordinem.

LIBER

LIBER PRIMVS PHYSICORVM.

De Principijs rerum naturaliuin.

De Principijs in communi.

QVID eſt Principium generaliter ſumptum? Eſt id, quod eſt primũ, vnde aliquid eſt, vel fit, vel cognoſcitur; hinc triplex prncipium, *in facto eſſe*, *in fieri*, *& in cognoſci*.

2. *Quid eſt Principiũ vti naturalis?* Eſt id, ex quo res naturalis fit aut conſtant.

3. *Quænam eſt differentia inter Principium, Cauſam, & Elementum; nam iſta tria habent rationem primi?* Diſtinguuntur in hoc, quod *Principium* eſt communius, quàm cauſa, in diuinis enim reperitur principiũ non cauſa. *Cauſa* latius patet, quàm Elementum, quia cauſa alia eſt interna, alia externa; *Elementum* verò cauſam tantùm internam dici. Sic igitur omne Elementum eſt cauſa, & principium ſed non è contrà: & omnis cauſa eſt principium, ſed non è conuersò.

4. *Quid addit cauſa ſupra principium?* Depen-

pendentiam, diſtinctionem, & influxum ipſius eſſe cauſati.

5. *Quænam ſunt principia Metaphyſica?* Actus, & potentia abſolutè.

6. *Quænam ſunt Phyſica?* Sunt quoque actus, & potentia non abſolutè, ſed in genere mobili: & ita actus vocatur *forma*, potentia verò, vel ſumitur pro ſubiecto recipiente, & vocatur *materia*, vel pro potentialitate ſubiecti, ſeu carentia formæ, & ſic eſt *priuatio*.

7. *Quomodo definiuntur ab Ariſtotele prima principia naturalia?* iuxta tres conditiones quæ ad illa requiruntur: PRINCIPIA ſunt quæ non ſunt ex alijs, nec ex alterutris, ſed omnia ex ipſis. Non ſunt ex alijs, quia ſunt prima; primum enim nullum aliud ſupponit. Non ſunt ex alterutris, quia ſunt contraria: quod non dicitur de cauſis, ideo cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ. Tandem omnia ex ipſis ſunt, quia res omnes naturales, vel ijs conſtant, vel ex ipſis fiunt.

8. *Quomodo prima principia ſunt contraria?* Dicuntur contraria non ratione materiæ, ſed priuationis, & formæ, quæ ſe mutuò expellunt. Nam in omni mutatione dari oportet amiſſionem vnius, & adeptionem alterius, cùm generatio vnius ſit curruptio alterius: ergo neceſſe eſt, vt interueniat contrarietas aliqua (contraria enim ſunt, quæ mutuò ſe expellunt,) quæ quidem contrarietas exer-

centur

cetur in aliquo ſubiecto, quod ab vno in aliud tranſit id eſt ex vna forma in aliam: & ſic forma, & materia non ſunt contraria, nec materia, & priuatio, ſed forma, & priuatio: quia ſe habent, vt terminus ad quem, & à quo, qui oppoſiti ſunt.

9. *Quænam eſt iſta contrarietas?* Non ſtricta, ſed latè ſumpta pro oppoſitione priuatiua, quæ eſt principium contrarietatis. Sed aduerte nullam in facto eſſe reperiri contrarietatem, quia nulla eſt priuatio, ſed tantùm in fieri.

10. *Quare dicuntur ab Ariſtotele prima contraria?* Quia habent contrarietatem primæ Categoriæ, ſcilicet ſubſtantiæ: vel quia priuatiuè opponuntur, priuatio enim principium eſt contrarietatis.

11. *Quot ſunt prima Principia?* Rerum naturalium principia nō poſſunt eſſe infinita, vt opinabatur Democritus, quia infinitum eſt ignotum; ſicque res naturales nobis eſsēt ignotæ, ignoratis earum principijs. Nec poteſt eſſe vnum tantùm, quia nihil ſibi eſt cōtrarium; quod autem fit ex principijs, fit ex contrarijs, ſcilicet ex termino à quo, & ex termino ad quem; Ergo non poteſt eſſe vnū principium tantùm. Nec ſufficiūt duo, quia duo contraria mutuò ſe deſtruunt: V.G. forma deſtruit priuationem. Neceſſe eſt ergo, vt ſit aliud tertium, nempè materia quod ſit ſubiectum vtriuſque ſucceſſiuè. Sunt ergo tantū tria principia, *Materia, Forma, & Priuatio*: quorum duo ſunt in facto eſſe, ſcilicet

materia, & forma; compoſitum enim naturale reſoluitur in materiam,& formam tantùm, V. G. homo in corpus, & animam: In fieri autem additur priuatio,quia fieri rei eſt eius tranſitus de non eſſe ad eſſe,qui non poteſt intelligi ſine priuatione, V. G. homo fit ex non homine; ſi enim homo eſſet, non fieret; ergo in fieri intelligitur non eſſe hominis,quod vocatur priuatio: Ergo in fieri tria ſunt principia, Materia, quæ tranſit de non eſſe ad eſſe, forma ad quam fit tranſitus, & priuatio à qua fit tranſitus,ſeu generatio rei naturalis. Per hæc tria quoque principia, generatio diſtinguitur à cæteris mutationibus: per priuationem diſtinguitur à motu, qui oritur à termino poſitiuo: per materiam, à creatione, quæ, nullum ſubiectum ſupponit: & per formam vnaquæque generatio ab alia diſtinguitur.

12. *Forma corrupta poteſtne dici principium rei genitæ?* Non, quia per accidens eſt, quod forma vna fiat ex altera, contingit enim formam aliquam fieri ex diuerſis, ſicut ignis ex ligno, ſtupa, &c. ſed formaliter, & per ſe fit ex priuatione, ſcilicet ex non igne.

13. *Quinam fuerunt antiquorum Philoſophorum errores circa principia naturalia?* Alij vnum tantum dixerunt eſſe principium, ſcilicet *Ens*, quod finitum dicebat Parmenides,infinitũ Meliſſus. Heſiodus dicebat eſſe *Terram*, Thales Mileſius *Aquam*, Diogenes *Aerem*, Hippaſus, & Heraclitus *Ignem*, alij aliud corpus ab Elementis, Plura etiam eſſe tenue-

tenuerunt multi nempè Zareta Chaldæus *Lucem*, & *Tenebras*; Hippus Rhegimus *Aquam*, & *Ignem*: Oenopides *Ignem*, & *Aerem*: Onomacritus *Ignem*, *Aquam*, & *Aerem*: Empedocles *quatuor Elementa*, & *Chaos*, vel *Amicitiam*, & *Litem*: Tandem Anaxagoras, & Democritus infinita poſuere, ſcilicet *atomos* illas in Aere volitantes, ex quibus omnia facta eſſe arbitrabantur. Sed nihil eorum poteſt eſſe primum principium, cùm conſtet ea omnia fieri ex alijs, nempè ex Materia, & Forma.

De Materia.

14. QVid intelligitur nomine Materiæ? Quodcumque ſubiectum actus, vel formæ, tùm ſubſtantialis, tùm accidentalis.

14. *Quotuplex, eſt ſubiectum formæ ſubſtantialis?* Duplex primum, & ſecundùm: iſtud eſt, quod actu habet formam, & vocatur *Materia Secunda*; illud, quod eſt capax recipiendi formas, quarum nullam in ſe intelligitur habere, & vocatur *Materia Prima*: quæ etiam appellatur à D. Th. *op.* 31. ſubiectum *ex quo*: materia verò ſecunda, ſubiectum *in quo*? Inter quæ, iſta eſt differentia, quòd ſubiectum in quo eſt habens eſſe, & in illo ſubſtentans formas, ſicut ſubſtantia ſubſtentat accidentia; & ita non habet eſſe ex illo, quod ſibi aduenit: at verò materia prima cùm ſit ſubiectum, ex quo fiat aliquid, habet eſſe ex illo, quod ſibi aduenit.

16. *Vndenã deducitur dari materiã Primam?* ex his duobus principijs ſcilicet, DATVR GENERATIO SVBSTANTIALIS, nã videmus quotidie aliquid de nouo ſubſtantialiter fieri, V. G. hominem, equum &c. &, Ex NIHILO NIHIL FIT SECVNDVM NATVRAM, ergo ex aliquo: non ex aliquo actualiter tali, alias de nouo non fieret, ſi anteà eſſet; ergo ex aliquo in potentia tali, & illud dicitur Materia Prima.

17. *Quibuſnam nominibus ſignificari ſolet Materia Prima?* Primò à Græcis vocatur *Hyle* id eſt Sylua, quia ſicut è Sylua Cathedræ, Scamna, lecti, trabes, & ſimilia educuntur, ita ex Materia, quaſi è fũdo fertili omnes formæ quę illic inerant potentia, ab Agente erutæ in lucẽ prodeũt. Secundò à Poetis veteribus, Heſiodo, Orpheo appellatur *Chaos*, quia cõfusè, & indiſcriminatim omnes formas reſpicit. Tertiò ab Ariſt. dicitur *per ſe ignota*, quia ſicut non habet actualitatem, niſi à forma, ita nõ eſt cognoſcibilis niſi per formam. Quartò à D. Aug. 12. *confeſſ. c.* 8. enunciatur eſſe *prope nihil*, quia in generatione ſubſtantiali minimam habet entitatem, quæ mente excogitari poſſit. Quintò vocatur *turpis, & incompoſita*, quia ſicut ex ſe eſt pura potẽtia, nullum habens actum, ita ex ſe nullum habet decorem. Sextò appellatur *Mater*, quia eſt principium paſſiuum generationis. Septimò dicitur *Matrix*, quia ſuo gremio complectitur, fouet, & conſeruat omnes formas. Octauò, *Malefica*, quia, vt poſſit aſſequi

ſequi formam,qua caret,machinatur interitum formæ, quam poſſidet. Vltimò, *Tenebra*, quia cognoſcitur à nobis perinde ac tenebræ, quas tùm percipimus, cùm nihil videmus, videntes autem ignoramus.

18. *Quomodo definitur ab Ariſtotele?* MATERIA PRIMA eſt ſubiectum primũ, ex quo fit aliquid, cùm inſit, & non ſecundùm accidens. Dicitur primum ſubiectum,vt diſtinguatur à compoſito, quod eſt ſubiectum ſecundum; additur, ex quo fit aliquid, cum inſit, vt diſtinguatur à priuatione, quæ non ineſt, ſed expellitur: tandem dicitur non ſecundùm accidens,vt inſinuetur ex Materia, & Forma cõſtitui vnum per ſe ſubſtantiale.

19. *Nonne eſt alia materiæ definitio?* Etiam, & talis eſt: MATERIA PRIMA per ſeipſam, neque eſt quid, neque quantum, neque quale, nec aliud quidpiam; dicitur eorum, quibus Ens determinatur.

20. *Eſtne pura potentia?* Etiam, quia caret ex ſe omni actu tum formali, quã entitatiuo ſeu Phyſico, & Metaphyſico; Phyſico quidem, (qui eſt forma ſubſtantialis,) quia condiuiditur contra illam: Metaphyſico vero (qui eſt differentia) nam id, per quod differt ab alijs eſt, quod ſit receptiua formæ; ſicut forma differt per hoc,quod ſit informatiua materiæ: atqui eſſe receptiuum, eſt eſſe potentiam: Ergo id, per quod differt eſt potentia, non actus. Deinde ſi non eſſet pura potentia,non eſſet quoque actus purus: ergo eſſet compoſita ex actu,& potentia; quod eſt

omninò impoſſibile,quia ſic non eſſet ſubiectum primum. Præclarè igitur ait D. Thomas, eſſe aliquid in ordine rerum, quod eſt actus tantùm,nempè DEVM O.M. aliquid, quod eſt potentia tantùm,ſcilicet Materiam primam; & aliquid quod eſt actus, & potentia, ſicut cætera omnia. Et Philoſophus hic ait Materiam primam eſſe,ſicut lignum reſpectu formarum artificialium, quarum nullam habet. Quemadmodum etiam argumentabatur Auicebron; eſt aliquid, quod eſt Mouens, non motum, ſcilicet primus factor rerum, ergo ex oppoſito eſt aliquid, quod eſt Motum, & Patiens tantùm,nempè Materia prima.

21. *Eſtne Ens reale actu?* Eſt actus id eſt reipſa, non verò habens actum ex ſe, ſed eſt aliquid reale potens recipere actum: vnde Ens reale diuiditur in actum, & potentiam.

22. *Dicendumne eſt Materiam primam eſſe in potentia?* In potentia quidem ſubiectiua, & receptiua formæ; non verò in potentia obiectiua, quæ eſt non repugnantia, vt producatur realiter, quia ſic non eſſet aliquid creatum, & verè productum, quod falſum eſt.

23. *Exiſtitne per ſe, id eſt per propriam exiſtentiam?* Non, ſed per exiſtentiam formæ, & compoſiti ſubſtantialis; quia alioquin non fieret vnum per ſe ex materia, & forma, ſed per accidens, eo quod fieret ex pluribus entibus in actu, nam materia eſſet in actu, quia exiſteret, & ſimiliter forma. Ergo.

24.

24. *Habetne exiſtentiam ſaltem partialem?* Non, quia exiſtentia partialis eſt impoſſibilis, totius enim eſt exiſtere, ſicut, & fieri, non partis; eo quod exiſtentia eſt vltimus actus rei, & poſitio eius extra omnes cauſas; quod de Materia à ſe ſola ſumpta dici non poteſt, cùm non ſit extra cauſam formalem, eſto ſit extra efficientem.

25. *Quomodo habet exiſtentiam à forma, & compoſito?* Habet à forma radicaliter, & remotè, à compoſito formaliter, & proximè, nam compoſitum eſt id, quod formaliter exiſtit, forma verò eſt id, quo compoſitum exiſtit.

26. *Cuiuſnam eſt immediatè receptiua?* Formæ, & per formam exiſtentiæ.

27. *Poteſtne Materia ſaltem diuinitùs exiſtere ſine forma?* Non, quia hoc implicat contradictionem, nam eſſet actu ſine actu, vt aſſerit *D. Th.* 1. *p. q.66. ar.* 1. *c.* Eſſet actu, quia exiſteret; & ſine actu, quia non haberet actũ; non Phyſicum, qui eſt forma ſubſtantialis, vt ſupponimus; neque Metaphyſicum, quia actus Metaphyſicus ſupponit Phyſicum in rebus phyſicis, eo quod actus Phyſicus eſt actus primus earum, ergo præcedit omnes alios, & ſine illo non poteſt eſſe alius, quia ordo eſſendi præcedit ordinem exiſtendi. Deinde materia ſine forma ſubſtantiali eſt pura potentia, vt ſupra probatum eſt: Ergo nullum includit actum: ergo eſſet actu, ſine actu. Tandem eſſet in genere nempe ſubſtantiæ, & non eſſet in aliqua ſpecie, quia

ſpecies eſt à forma; hoc autem eſt impoſſibile: Ergo.

28. *Quot ſunt conditiones Materiæ primæ?* Quinque, ſcilicet Potentia, Appetitus, Ingenerabilitas, Incorruptibilitas, & Vnitas.

29. *Quid eſt potentia Materiæ?* Eſt capacitas, qua formarum receptiua eſt; ideò dicitur potētia paſſiua, recipere enim eſt Pati. Non eſt aliquid ſuperadditum ipſi Materiæ, ſed ipſa ſua entitas eſt eius potentia, quia eſſentialiter eſt potentia, ergo non per aliquid aliud, ſed per ſeipſam.

30. *Quid eſt Appetitus Materiæ?* Eſt inclinatio naturalis, & propenſio, quam habet ad formam; ideò dicitur Appetitus *innatus*, qui ſine cognitione eſt, vt cùm lapis appetit centrum: non *elicitus*, qui media fit cognitione, vt cùm animal appetit cibum.

31. *Quare Materia appetit formam?* Quia quælibet res fertur in bonum ſibi conueniens, & proportionatum: at forma eſt huiuſmodi reſpectu Materiæ; nam cùm ei vnitur, efficit, vt in determinata, & atoma ſpecie colocetur, atque adeò exiſtere poſſit.

32. *Appetitne omnes formas?* Appetit omnes corruptibiles ſimpliciter, quia per illas poteſt perfici, & actuari (intellige ſucceſſiuè, non ſimul.) Non tamen eodem modo: nam eas, quas nondum habuit, nec dum habet, appetit, vt habilis ad illas: eas verò quas habet, appetit, non quidem per modum deſiderij, & motus, ſed per modum fruitionis, & quietis, quibus tamen non eſt ſatiata,

ſed

ſed retinet adhuc appetitum ad alias, quia habet illarum priuationem. Tandem reſpectu formarum, quas habuit, & amiſit, remanet quidem in materia appetitus naturalis, quantùm ad proportionem inter ipſam, & tales formas ſecundùm ſe; non tamen quoad executionem, & reſpectiuè ad Agens, à quo educenda eſt forma; & ita appetitum habet ad formam, non ad illius eductionem, quia ad præteritum non eſt potentia.

33. *Quare materia prima dicitur ingenerabilis, & incorruptibilis?* Quia ſi generaretur fieret ex aliqua, ergo ex ſeipſa, quod implicat: & ſi corrumperetur, amitteret ſuum eſſe, quod eſt eſſe ſubiectum, & ita eſſet annichilatio, in qua totum perit ſubiectum, non corruptio, in qua remanet. Deinde generari, & corrumpi pertinent propriè ad totum Compoſitum. Dicitur tamen prima radix corruptibilitatis, quia licet corruptibilitas tribuenda ſit, non ſolum Materiæ, ſed etiam Formæ, eo quòd corruptibilitas oritur ex hoc, quod Materia non ſatiatur Forma, & Forma non ſatiat Materiam: tamen diſpoſitiones, quæ viam parant ad corruptionem, ſe tenent ex parte Materiæ, non formæ; & non recipiuntur in compoſito, beneficio Formæ tanquam primi ſubiecti, ſed Materiæ, quæ ſola eſt primum ſubiectum.

34. *Materia prima rerum corruptibilium eſtne vna Specie?* Etiam: quia eodem modo, & ſub eadem formalitate appetit omnes formas, nempè modo corruptibili, & amiſſibili:

Ergo non habet vnde diſtinguatur; ſed eodem modo eſt ſubiectum omnium.

35. *Quomodo dicitur vna?* Negatiuè, non poſitiuè; quia, vt aliquid dicatur eſſe vnum vnitate ſpecifica poſitiuè, non ſolùm debet habere entitatem poſitiuam, ſed etiam debet habere in ſe aliquod principium actuale, per quod conſtituatur in aliqua ſpecie determinata, & ab alijs poſitiuè diſtinguatur; vt patet in homine, qui per Animam rationalem conſtituitur in eſſe ſuo ſpecifico, & differt poſitiuè ab alijs. Vt autem aliquid ſit vnum vnitate ſpecifica negatiua, ſolùm requiritur, vt non habeat in ſe diuerſa principia actualia, per quæ in diuerſis ſpeciebus conſtituatur: Quemadmodum, vt aliquid poſitiuè dicatur eſſe ſemper, & vbique, debet habere vnde ſe extendat ad omne tempus, & ad omnem locum; ſic Deo competit eſſe vbique, & ſemper; ſed vt aliquid dicatur eſſe ſemper, & vbique negatiuè, ſat eſt, vt non habeat, quo determinetur ad aliquem locum, vel tempus; hoc modo quodlibet vniuerſale dicitur eſſe vbique, & ſemper negatiuè. Atqui Materia prima nullum habet in ſe principium actuale, per quod in aliqua ſpecie determinata collocetur, quia nullam habet formam, ergo non habet vnitatem ſpecificam, niſi negatiuam. Idem dicendum de vnitate numerica.

36. *Differtne ſpecie à materia cœleſti?* Etiam, quia Materia cœleſtis ſe habet ad ſuam formam modo incorruptibili; cùm Cœlum ſit incor-

incorruptibile, & ita diuerſa eſt à Materia corruptibilium, quæ alio modo ſe habet.

De Forma.

37. QVid eſt Forma? Eſt Actus dans eſſe rei. Duplex eſt, interna, & externa: *Prima* eſt illa, quæ conſtituit rem in ſuo eſſe: *altera* eſt, ad cuius ſimilitudinem aliquid fit, & vocatur *Exemplar*.

38. *Quotuplex eſt Forma interna?* Duplex, ſubſtantialis, & accidentalis. *Prima* facit eſſe in actu ſimpliciter; *Secunda* facit eſſe ſecundùm quid: nam aduenit rei iam conſtitutæ in ſuo eſſe ſimpliciter.

39. *Quomodo definitur Forma ſubſtantialis?* FORMA EST ACTVS PRIMVS MATERIÆ PRIMÆ. Vel. Actus primus, ex quo fit vnum per ſe.

40. *Quotuplex eſt Actus?* Duplex, primus & ſecundus: ſeu in eſſendo, & operando; Forma autem eſt principium vtriuſque, ſcilicet eſſendi, & operandi.

41. *Poteſtne Forma dici Actus purus?* Non, quia non ſolùm actus purus non componitur ex actu, & potentia, ſed neque venit in compoſitionem aliorum; quod de Forma ſubſtantiali dici nequit: Vocatur tamen actus ſimplex, id eſt non compoſitus, eo quod eſt vnum ex primis principijs.

42. *Vnde colligitur dari Formas ſubſtãtiales?* Ex multiplici capite: *Primò* ex diſtinctione ſpecifica rerum naturalium; nam euidens eſt

dari ſubſtantias naturales ſpecie diſtinctas, V. G. hominem, & equum: hæc diſtinctio non eſt per materiam, quæ eadem eſt in omnibus: Ergo per formam. *Secundò* ex quorundam corporum animatione; non enim viuit corpus in quantum corpus, ſed per animam quam habet, & illa eſt Forma. *Tertiò* ex mutatione ſubſtantiæ, certum enim eſt ſubſtantiam non mutari tantùm accidentaliter, vt cùm de non albo fit album, ſed etiam ſubſtantialiter, vt cùm de non igne fit ignis: ſicut ergo terminus mutationis accidentalis eſt Forma aliqua accidentalis adueniens, ita terminus mutationis ſubſtantialis eſt Forma ſubſtantialis adueniens Materiæ.

43. *Formæ ſubſtantiales in generatione educunturne de potentia Materiæ?* Etiam: quia educi de potentia Materiæ nihil aliud eſt, quam fieri ad tranſmutationem Materiæ: atqui in generatione ſubſtantiali Agens tranſmutat materiam, introducendo nouas diſpoſitiones, ex qua trãſmutatione reſultat Forma geniti: ergo in generatione ſubſtantiali formę educuntur de potentia Materiæ.

44. *Quænam formæ educuntur de potentia Materiæ?* Aliæ ſunt ſubſtantiales, & alię accidentales, illæ reſpiciunt Materiam primã: hę ſubiectum completum, & conſtitutum in actu. Triplex autem eſt Forma ſubſtantialis, ſcilicet *Subſiſtens ſeparata*, vt Anima rationalis ſola; *incorruptibilis*, vt cœleſtis, & *corruptibilis*, vt cęteræ omnes. Anima rationalis non educitur de potentia materiæ; quia non

fit

fit ad tranſmutationem Materiæ, non enim dependet à materia in ſuo eſſe, eo quòd non dependet ab ea in ſua operatione, nempe in intellectione, quæ eſt operatio abſtrahens à materia: Ideò Ariſtoteles ait, mentem venire de foris, id eſt non ex materia; & fides docet Animam rationalem eſſe ſpiritualem, & fieri per creationem in inſtanti generationis hominis. Forma cœleſtis, quoque, & elementaris non eſt educta de potentia Materiæ, quia in prima creatione, materia eorum non eſt tranſmutata, ſed ſimul cum forma producta, & concreata. At verò reliquæ formę ſublunares educuntur è materia, quoties per generationem producuntur; eo modo, quo formæ artificiales educuntur de potentia ligni V. G. in quantùm per actionem artificis ad tranſmutationem Ligni fit talis, vel talis ſtatua, vel aliquid aliud. Similiter accidentia omnia naturalia dicuntur educi, vel coeduci de potentia naturali ſubiecti: accidentia verò ſupernaturalia de potentia obedientiali; quæ nihil eſt aliud, quàm ipſa entitas ſubiecti, prout reſpicit Agens diuinum, cui abſolutè ſubijcitur, & obedit.

De Priuatione.

44. *QVid eſt Priuatio, prout dicitur principium rei naturalis?* Eſt ipſe terminus, à quo incipit generatio, quique relinquitur, vt ad formam genitam perueniatur, cùm omnis tranſitus neceſſariò fit inter duos terminos.

45. Quo-

46. *Quomodo poteſt eſſe principium, cum ſit non ens.* Non eſt principium influens, ſed terminans: Non eſt principium in incompoſitione, ſed in generatione; Non eſt principium per ſe rei, ſed fieri rei; ideo eſt principium tantum per accidens rei: eſt tamen aliquid reale ratione ſubiecti, ſeu Materiæ, quia Materia dicitur realiter priuata. Sed formaliter dicit non ens.

47. *Quot ſunt priuationes in Materia?* Tot ſunt, quot formæ abſentes.

De Toto Subſtantiali.

48. QVid eſt Totum ſubſtantiale? Eſt, quod conſtat Materia, & Forma ſubſtantiali, tanquam partibus eſſentialibus: dicitur etiam Totum phyſicum, & Compoſitum naturale. Ratio eſt, quia Totum ſubſtantiale eſt corporeum, ergo habet materiam: atqui ſola Materia non eſt de eſſentia compoſiti naturalis, anima enim eſt de eſſentia Viuentium, quæ non eſt ipſa eorum materia, aliàs nunquam morerentur, quia ſemper haberent animam, ſicut ſemper haberent materiam: Ergo præter materiam eſt alia pars eſſentialis compoſiti phyſici, nempe forma.

49. *Quomodo differt Totum phyſicum à Toto integrali, ſeu quantitatiuo?* Quòd Totum quantitatiuum conflatur ex partibus, quæ ita ſunt partes, vt ſi ſeparentur poſſint fieri Tota: at partes compoſiti phyſici non poſſunt eſſe Tota.

50. Quo-

50. *Quomodo differt à Toto accidentali?* Quòd ſubiectum non ſit de eſſentia compoſiti accidentalis, benè autem compoſiti naturalis.

51. *Diſtinguiturne Totum à partibus ſuis ſimul ſumptis, & vnitis?* Non diſtinguitur realiter, ſed ratione tantùm. Ratio eſt, quia partes ſimul ſumptæ ſunt ipſummet totum, V. G. homo nihil eſt aliud, quam corpus, & anima ſimul iuncta. Licet enim partes, non poſſint prædicari formaliter, & logicè de Toto, quia ad prædicationem non ſufficit identitas vnius cum alio, ſed etiam requiritur modus ſignificandi, qui quidem eſt diuerſus in toto, & in partibus, nam Totum ſignificatur per modum vnius, & partes per modum plurium: Nihilominus tamen prædicantur materialiter; & ita ſolùm probatur Totum diſtingui à partibus ratione, & formalitate prædicationis, non reipſa, & entitatiuè.

52. *Materia manetne eadem in compoſito, quandiu durat ipſum compoſitum?* Manet eadem identitate formali, quia manet ſub eadem forma ſubſtantiali, eadem quantitate, cæteriſque accidentibus; non identitate meteriali, quia quotidie partes aliquæ materiales deperduntur in viuentibus, & aliæ aggenerantur per nutritionem. Sicut aqua fluuij mutatur materialiter, remanet tamen idem fluuius formaliter.

De

De Vnione partium in Toto.

53 D*Aturne vnio Materiæ, & formæ in compoſito naturali?* Etiam, quia quandoque reperitur Materia, & forma compoſiti ſine ipſo compoſito, vt accidit in morte hominis: Ergo vt ſit compoſitum neceſſe eſt, vt illæ partes ſint vnitæ, id eſt à ſe inuicem indiſtantes.

54. *Quid eſt illa vnio partium?* Non eſt aliquid medium inter Materiam, & formam, veluti cæmentum inter partes domus, eo quod Materia, & forma ſeipſis vniuntur; nihil enim reperitur inter corpus, & animam hominis. Vnio ergo partium in fieri, actiuè ſumpta nihil eſt aliud, quam actio Agentis, partes indiſtantes reddentis; paſſiuè verò ſumpta eſt vnitio paſſiua earum, ſeu approximatio vnius ad aliam. In facto eſſe eſt effectus talis actionis, ſeu continuatio indiſtantiæ vnius ad aliam, ex qua actione reſultat relatio vnionis, qua Materia, & forma ad inuicem referuntur, & eo modo dicuntur vnitæ.

Finis Primi Libri Phyſicorum.

LI-

LIBER SECVNDVS

PHYSICORVM

De Natura, & Cauſis.

De Natura.

1. Q*Votupliciter ſumitur Natura?* Multipliciter, primò pro generatione viuentium, quæ dicitur Natiuitas. Secundò pro principio interno cuiuſque motus, quod eſt Materia, vel forma. Tertiò pro eſſentia cuiuſque rei, quæ illius natura appellatur. Quartò pro tota rerum vniuerſitate, quæ natura rerum dicitur. Quintò pro authore naturę, qui vocatur Natura naturans. Sextò pro ordine, quem Deus rebus indidit. Hic accipitur ſecundo modo.

2. *Quomodo definitur Natura ab Ariſtotele?* NATVRA eſt principiũ, & cauſa motus, & quietis eius, in quo eſt, primò, & per ſe, & nõ ſecundùm accidens. Dicitur primò principium, & cauſa motus, quia non ſolum eſt principium paſſiuum, ſed, & actiuum. Secundò dicitur motus, & quietis, non quod omnia moueantur, & quieſcant etiam ſucceſſiuè, quia globus terræ nunquã mouetur, & cœlum nunquam quieſcit, ſed quòd omnis

nis motus, & quies naturalis, eſt à natura, tanquam eius cauſa. Tertiò dicitur eius, in quo eſt, quia natura eſt prindipium internum. Tandem additur, primò, & per ſe &c. vt ſignificetur naturam eſſe principium radicale, non proximum. Itaq; principium *quo* radicale motus eſt Natura, principium *quo* proximum eſt V.G. Leuitas, & grauitas in Elementis; principium *quod* paſſiuũ, eſt Ens mobile; principium *quod* actiuum, eſt Agens.

3. *Quomodo differt Natura ab Arte?* Quòd Natura eſt principium motus eius, in quo ipſa eſt, ars verò eſt principium motus in alio ſubiecto, puta in ligno, in quo non eſt ars, ars namque eſt in mente artificis, qui in lignum operatur.

4. *Quomodo differt à violentia?* Quòd natura eſt principium internum, violentia externum, paſſo non conferente vim, id eſt renitente. Itaque motus naturalis eſt ab intrinſeco, motus violentus ab extrinſeco, paſſo repugnante; motus artificioſus ab extrinſeco, paſſo obediente; quia ars applicat propria actiua, proprijs paſſiuis.

5. *Quibuſnam conuenit ratio Naturæ?* Propriè conuenit Materiæ, & Formæ: Materiæ quidem, vt principio paſſiuo ad recipiendas omnes mutationes: formæ verò, vt principio paſſiuo in non Viuentibus ad recipiendas ab Agente naturali tales mutationes ſibi cõuenientes: V.G. forma Cæli eſt principiũ paſſiuum motus circularis recepti ab Angelo. In viuentibus verò forma dicitur principiũ acti-

actiuum,nam viuentia reuera ſeipſa mouent per principium internum, quod non poteſt eſſe niſi forma.

6. *Compoſitum poteſtne dici Natura?* Non, ſed naturale, ſeu conſtans natura.

7. *Forma totalis. V.G. Humanitas poteſtne dici Natura?* Dicitur Natura id eſt eſſentia, non verò Natura (vt hic ſumitur pro principio radicali motus) propriè & in rigore loquendo, quia præſupponit alia principia priora ſcilicet Materiam & Formam.

8. *Anima rationalis eſtne Natura?* Ita eſt, etiam ſecundùm gradum rationis; quia vt talis eſſentialiter conſtituit hominem, qui eſt Totum phyſicum, conſtans materia, & forma. Deinde eſt principium quorundam motuum rationalium V.G. ridere, admirari; qui ſunt motus phyſici, & naturales, nec poſsũt eſſe niſi à forma naturali: Ergo Anima rationalis, vt rationalis eſt, Natura dici debet. Separata autẽ à corpore dicitur quoque Natura, non ratione ſtatus, ſed ratione inclinationis, & aptitudinis ad operationes naturales, & ad habendum corpus.

9. *Poteſtne Ars efficere opera Naturæ?* Non poteſt de ſe: quia Ars poteſt tantùm de ſe introducere diſpoſitionem quandam quantitatis; atqui quantitas non eſt principium actiuum alicuius motus, aut actionis, ſed mere paſſiuum; cùm tamen requiratur aliquod principium actiuum ad opus naturale; ergo illud non poteſt eſſe ars de ſe. Ad hoc igitur, vt opera quædam naturalia efficere poſſit,

debet

debet applicare actiua paſſiuis, id eſt aptare cauſas naturales, eaſque taliter diſponere ad effectum ſuum producendum. Sic per talem artis diſpoſitionem pulli oriuntur, ranę, ſerpentes procreantur, ſanitas in infirmo corpore producitur, &c.

10. *Poteſtne ope artis chymicæ confici verum aurum?* Negat abſolutè D. Thom. *in* 2. *d.* 7. *q.* 3. *a.*1. *ad* 5. Quia, inquit, *Forma ſubſtantialis auri non fit per calorem ignis quo vtuntur Alchymiſtæ, ſed per calorem Solis in aliquo loco determinato, vbi viget virtus mineralis: faciunt tamen aliquid ſimile vero auro, quantum ad accidentia externa, puta colorem, & huiuſmodi: non quantùm ad operationem conſequentem ſpeciem veri auri.* Quamuis igitur oppoſita Sententia non ſit omninò improbabilis, hæc tamen probabilior videtur.

De Cauſis in Communi.

11. QVid eſt CAVSA? Eſt principium influens eſſe in aliud: vel, eſt id, à quo aliud in eſſe pendet.

12. *Quotuplex eſt?* Quadruplex ſcilicet MATERIA, FORMA, EFFICIENS, ET FINIS. Nam ſunt tantùm quatuor à quibus eſſe alterius dependet, ſcilicet Subiectum recipiens eſſe, & eſt *Cauſa materialis*: Actus dans eſſe per informationẽ Materiæ, & eſt *Cauſa formalis*: Agens, quod educit per ſuam actionẽ formam illam è ſinu Materiæ, nihil enim ſeipsũ facit, & eſt *Cauſa efficiens*: Tan-

Tandem ratio,ſeu motiuum,ob quod Agens agit,& eſt *Cauſa finalis*. Nulla autem alia ab ijs diſtincta poteſt aſſignari: Ergo ſunt tantùm quatuor cauſarum genera. Hæc diuiſio eſt vniuoca: quia membra diuidentia participant æqualiter rationem diuiſi, & independenter vnius ab alio, quantùm ad ipſam rationem cauſæ: licet in exercenda cauſalitate vna pendeat ab alia, quia Cauſæ ſunt ſibi inuicem Cauſæ.

13. *Cauſa eſtne prior ſuo effectu?* Eſt prior ſaltem natura; quia Cauſa ex intima ratione eſt principium, ex quo aliud verè,& phyſicè ſequitur; ergo neceſſariò debet eſſe quid primum.

14. *Eſtne nobilior ſuo effectu?* Simpliciter loquendo Materia, & forma non ſunt nobiliores ſuo effectu nempe Compoſito, nam Totum eſt abſolutè nobilius partibus. Cauſa vero efficiens, & finalis, aliquando perfectiores, aliquando æquè perfectæ, & interdum imperfectiores exiſtunt: Nam Cauſa efficiens principalis æquiuoca nobilior eſt, vniuoca eſt æquè perfecta; cauſa inſtrumentalis imperfectior. Quantùm ad finem, poteſt quis ſibi prǣſtituere finem operis ſui,vel perfectiorē opere, vt cùm quis ſtudet propter Deum; vel æquè perfectum,vt cum quis ſtudet propter ipſam ſcientiam acquirendam: vel imperfectiorem, vt ſi ſtudeat propter vanam gloriam. Secundùm quid tamen omnis Cauſa eſt nobilior ſuo effectu, eo quod eſt prior, & eſſe in illum influit.

15.

15. *Cauſæ ſuntne ſibi inuicem Cauſæ?* Etiam, vnaquæque in ſuo genere, V.G. Materia in genere Cauſæ materialis eſt Cauſa formæ, quia forma non eſſet, ſi materia non ſuſtentaret illam: & ſimiliter in genere Cauſa formalis, Forma eſt Cauſa Materiæ, quia Materia non exiſteret, niſi forma daret illi eſſe. Ergo Forma, & Materia ſunt ſibi inuicem cauſæ. Idem dicendum de efficiente, & finali; nam Finis cauſat Efficientem, quia mouet illam ad agendum: Efficiens verò producit ipſummet finem, quem intendebat; nam *quod eſt primum in intentione, eſt vltimum in executione.*

16. *Quænam eſt prima Cauſarum?* Finis; quia cæteræ dependent ab ipſo: deinde Cauſa Efficiens, Forma, & Materia, ordine quidem perfectionis; nam ordine generationis è contra, Materia prima eſt, deinde Forma, Efficiens, & Finis.

17. *Poteſtne idem effectus pendere à pluribus Cauſis totalibus, adæquatis, eiuſdem generis, & inter ſe non ſubordinatis?* Non. Primò, quia ſic effectus penderet, & non penderet ab vnaquaque illarum: penderet quidem vt ſupponimus; & non penderet, quia produceretur totaliter, & per ſe ab alia. Et ita non dependeret per ſe, & eſſentialiter ab iſta: illud enim non dependet eſſentialiter ab aliquo, ſine quo poteſt produci. Secundò, quia effectus ille eſſet idem, & non idem numero; eſſet idem, vt ſupponimus; & non idem, quia duæ cauſæ totales non ſubordinatæ agunt

per

per diſtinctas actiones: atqui per diſtinctas actiones producuntur diſtincti effectus, quia actio creata propter ſuam limitationem, non poteſt habere niſi vnicum terminum, & conſequenter talem effectum producere debet, non alium: Ergo. Tertiò, quia duæ cauſę totales non poſſunt continere eundem numero effectum, eo quod non habent eandem numero virtutem agendi; ergo non poſſunt illum producere. Ad hoc igitur, vt aliquid pendeat à pluribus cauſis, debent eſſe illæ cauſæ, vel partiales, ſicut duo trahentes nauim; vel totales diuerſi generis, quemadmodum à quatuor cauſis producitur Compoſitum naturale; vel demùm ſubordinatæ, vt à Cauſa vniuerſali, & particulari (quæ totales ſunt, ſed ſubordinatæ) producitur idem effectus. Inſtrumentales verò cauſæ poſſunt plures concurrere ad eundem effectum: ſic plures Sacerdotes eandem numero hoſtiam conſecrare: Ratio eſt, quia cauſæ inſtrumentales vniuntur in vna virtute Cauſæ principalis.

18. *Poteſtne Deus eundem numero effectum à cauſa creata productum reproducere?* Etiam, quia continet eminenter eandem numero virtutem, & actionem, per quam productus eſt ille effectus à cauſa creata; Ergo eundem numero poteſt reproducere; vt de facto continget in reſurrectione mortuorum.

De

De Cauſa Materiali.

19. Q*Vænam in qualibet Cauſa ſpectanda ſunt?* Quatuor ſpectantur, primum eſt Actus primus eius, ſeu virtus, per quam conſtituitur in eſſe, & ratione Cauſæ: ſecundum eſt actus ſecundus, ſcilicet functio, & cauſalitas, exercitiumque Cauſæ. Tertium eſt Conditio, ſine qua non cauſat. Quartum, Effectus, qui producitur.

20. *Quænam eſt virtus cauſandi Materiæ?* Eſt eius potentia recipiendi, quæ non diſtinguitur ab ipſa eius entitate, vt dictum eſt, *lib.* 1. *num.* 29.

21. *Quænam eſt Cauſalitas eius?* In fieri eſt ipſa tranſmutatio, & vnitio paſſiua; nam Materia concurrit tantùm patiendo, & recipiendo; In facto eſſe, eſt vnio, ſeu vnitam eſſe formæ quod eſt ſuſtentare formam.

22. *Quænam ſunt conditiones Materiæ ad cauſandum in ſuo genere? Prima* eſt exiſtentia, non antecedenter ad formam, ſed concomitanter. *Secunda* eſt ordo, ſeu determinatio, quam debet habere ab alijs Cauſis, ex quarum concurſu pendet in cauſando; materia enim indiſpoſita, & indeterminata non cauſat. *Tertia* eſt approximatio, & indiſtantia Materiæ, & Formæ, qua dicuntur vniri, ad efficiendum Compoſitum.

23. *Quinam ſunt Effectus Materiæ? Primus* eſt receptio formæ. *Secundus* generatio ab Agente profecta. *Tertius* compoſitum ip-

ſum

ſum naturale. Ex receptione autem formæ oriuntur alij quidam effectus; *Primus* eſt eſſe formæ, ſi à materia dependeat, vel ſaltem modus eſſendi informatiuè, ſi non dependeat, ſicut Anima rationalis: *Secundus* eſt Limitatio formæ: *Tertius* eſt incommunicabilitas: *Quartus* Indiuiduatio.

De Cauſa Formali.

24. *Quænam eſt virtus cauſandi formæ?* Eſt ipſamet eius entitas, qua poteſt actuare materiam; forma enim per ſe, & eſſentialiter eſt actus; & ſicut Materia cauſat recipiendo, ſic forma actuando.

25. *Quænam eſt eius cauſalitas?* Eſt eductio à Materia, & vnitio cum ea in fieri? in facto eſſe, eſt vnitam eſſe illi.

26. *Quænam ſunt conditiones formæ? Prima* eſt Exiſtentia, quam ſecum affert: *Secunda* eſt approximatio eius ad materiam: *Tertia*, proportio materiæ ad ipſam.

27. *Quinam ſunt effectus formæ? Primus* eſt ipſa forma communicata materiæ. *Secundus* eſt expulſio formæ præcedentis: *Tertius* Compoſitum ipſum naturale.

28. *Poteſtne Deus concurrere concurſu materiali, aut formali?* Non, quia iſtæ cauſæ concurrunt tantùm per modum partis componentis, quod Deo competere nequit. Poteſt tamen Deus concurrere concurſu cauſę formalis, per modum termini, & ſubſtantiæ, vt contingit in myſterio Incarnationis.

De Cauſa Exemplari, ſeu Idea.

29. QVid eſt IDEA ſeu EXEMPLAR? Eſt forma intentionalis, quam aliquid imitatur ex intentione, Agentis, determinantis ſibi finem. V. G. repręſentatio domus,quam habet ædificator in mente, dicitur Idea domus; eo quod eſt quædam intellectualis forma, quam domus exteriùs facta imitatur, ex intentione ædificantis talem domum, intendentis conſtruere ex determinatione ſua; id eſt ex eo quod ad id ſe determinauit. Poteſt etiam ſic definiri: IDEA eſt forma, ad quam agens reſpiciens operatur. Sed Notandum ex D. Th. formam eſſe in triplici differentia, nam alia eſt *forma, ex qua*, alia *à qua*, alia *ad quam*. *Prima* eſt ex qua res conſtat, ſeu per quam res conſtituitur in ſua ſpecie: *Secunda* eſt, à qua effectus procedit, vt à principio agendi: *Tertia* eſt, ad cuius ſimilitudinem aliquid fit, & hæc eſt *Idea*.

30. *Ad quod genus Cauſæ reducenda eſt?* Triplicem cauſalitatem habet, ſcilicet efficientis, finalis, & formalis: *Efficientis* quidem, quia ars pertinet ad genus cauſæ efficientis, ergo etiam Idea, qua mediante ars operatur. Deinde,quod præſtat forma naturalis in agentibus naturalibus, id præſtat Idea in agentibus intellectualibus: atqui forma eſt principium actiuum determinans Agens ad talem effectum: ita ſimiliter Idea; vnde

vnde ex vtraque reſultat ſimilitudo in effe-ctu. *Finalis* verò, quia perfectio, & bonitas Ideæ monet Agens ad agendum. Tandem cauſalitatem *Formæ* habet, quia verè dat eſſe extrinſecè, regulando opus, quod ad ipſam fit: ideoque extrinſecè ſpecificat, ſicut forma naturalis intrinſecè. Et hæc cauſalitas ipſi maximè propria eſt, in quantum Idea eſt, & ſimilitudo rei faciendæ.

De Cauſa Efficiente.

31. QVid eſt Cauſa efficiens? Eſt PRINCIPIVM, à quo primò profluit motus. Idcirco Cauſa efficiens eſt prima, quæ influit in effectum, ordine executionis; licet finis ſit prior ordine intentionis.

32. *Quomodo diuiditur?* Primò in Cauſam per ſe, & Cauſam per accidens: *Cauſa per ſe* eſt, à qua, vt tali procedit effectus, vt ab homine, vt tali procedit homo, ab igne ignis, & in artificialibus, à Statuario Statua: *Cauſa per accidens* è contra, à qua, vt tali non procedit effectus, vt à Muſico Statua. Secundò Cauſa per ſe diuiditur, in principalem, & inſtrumentalem. *Principalis* propria virtute operatur; *Inſtrumentalis* per virtutem alterius, ſcilicet cauſæ principalis, à qua eleuatur ad agendum. Tertiò Cauſa principalis duplex, *Efficiens tantùm*, vt homo generans, & *Efficiens ſimul, & conſeruans*, vt ſol reſpectu illuminationis. Quartò Cauſa principalis duplex *Prima*, nempè Deus, & *Secunda*, nempè creatura. Quintò Rurſus

duplex eſt, vniuerſalis, & particularis: *vniuerſalis* eſt, quæ plures effectus producit, vt ſol Deus: *particularis* vnum tantùm determinatè, vt canis generat canem. Sextò item duplex eſt, Æquiuoca, & Vniuoca: *Æquiuoca* eſt, quæ producit effectus diuerſæ ſpecie à ſe, vt cælum: *Vniuoca*, quæ producit eiuſdem, vt homo hominem. Septimò diuiditur in totalem, & partialem: *Totalis* eſt, quę ſine conſortio alterius cauſæ eiuſdem generis, & ordinis integrum producit effectum: *partialis* verò, quæ cum altera operatur, eiuſdem generis, & ordinis, vt duo trahentes nauim. Octauò in liberam, & neceſſariam; *Libera* pro libitò operatur, vt homo; *neceſſaria*, ex neceſſitate naturæ, vt ignis. Nonò in phyſicam, & moralem: *Phyſica* verè, & realiter influit, vt ſol calorem; *Moralis* verò moraliter tantùm, id eſt proponendo obiectum bonum, vel malum, & ita cauſat tantùm præcipiendo, monendo, conſulendo, perſuadendo &c. Decimò tandem diuiditur in *eſſentialiter ſubordinatam*, quæ nullo modo poteſt operari ſine concurſu Superioris, vt cauſa ſecunda reſpectu primę, particularis reſpectu vniuerſalis; & *non eſſentialiter ſubordinatam*, vt Filius reſpectu Patris, qui poteſt operari ſine Patre, quamuis illi quodammodo ſubordinetur.

33. *Quomodo diuiditur Cauſa efficiens à D. Th.?* Complectitur ſub vna diuiſione omnes cauſas efficientes, dum dicit, quod quadruplex eſt Cauſa efficiens, ſcilicet perficiens,

præ-

præparans, adiuuans, & conſilians. *Perſiciens* eſt, quæ dat complementum motui, introducendo formam ſubſtantialem. *Præparans*, ſeu diſponens eſt, quæ aptat materiam ad vltimum complementum. *Adiuuans*, quæ operatur ad proprium finem, vel ad finem alterius. *Conſilians* eſt, quæ tradit agenti ex propoſito formam, per quam agit: nam agens ex propoſito agit per ſcientiam, quam ipſi conſilians tradit.

34. *Quiſnam eſt actus primus, ſeu Virtus per quam agit Cauſa efficiens?* Eſt aliquod accidens, de genere qualitatis, additum ſubſtantiæ cuiuſcunque rei creatæ. Ratio eſt, quia nulla ſubſtantia creata eſt immediatè, & per ſeipſam operatiua: quia ſubſtãtia rei, & operatio eius realiter diſtinguuntur: ergo quod eſt immediatum principium Subſtantiæ, & eſſe illius, non poteſt eſſe immediatum principium operationis: atqui forma ſubſtantialis eſt immediatum principium eſſendi, quia dat eſſe: ergo non poteſt eſſe immediatum principium operandi. Deinde ſicut Agens artificiale requirit inſtrumentum, per quod agat, quia propter limitationem ſuæ virtutis, non poteſt habere ſimul illud, quod in ſe, & in inſtrumento eſt neceſſarium ad agendum: ita, & nulla ſubſtantia creata, poteſt eſſe per ſe ſufficiens principium ad agendũ, & eſſendum; quod ſolùm in Deo reperitur, vbi eſſentia eſt ipſamet poteſtas agendi, & eius actio. Reſtat ergo, vt immediatum principium operandi ſit aliquid ſubſtantiæ ſu-

peradditum : quod autem ſubſtantiæ additur eſt accidens, ergo proximum, & immediatum principium, ſeu virtus Cauſę efficientis eſt quædam qualitas, quæ appellatur facultas agendi : principium verò radicale, & remotum erit forma ſubſtantialis, quia operatio ad eſſe ſequitur : & vtrumque illud eſt principium *quo*, nam principiũ *quod*, agendi eſt ipſum compoſitum ſubſiſtens, ideò vulgari axiomate dicitur, *Actiones ſunt ſuppoſitorum*.

35. *Quomodo concurrit huiuſmodi accidens, & virtus agendi?* Concurrit inſtrumentaliter ad productionem ſubſtantiæ, V.G. Calor ad productionem ignis; principaliter verò ad productionem accidentis, V.G. caloris, quia calor eſt proportionatus calori alteri.

36. *Indigetne illud accidens aliquo peculiari influxu ſubſtãtię ad operãdũ?* Nequaquã, quia sẽper ſubſtantiæ cohæret, & tanquã aliquid ſubſtãtię agit, cum ſit eius virtus operatiua.

37. *Quænam eſt cauſalitas cauſæ efficientis?* Eſt Actio, vt exercita, ſeu ipſum agere; quia per ipſum agere exercet Cauſa efficiens ſuã virtutem agendi; V.G., per actuale calefacere exercet ignis virtutem ſuam calefaciendi, ergo eſt eius cauſalitas. Hæc tamen cauſalitas cauſæ efficientis, non conuenit emanationi paſſionum ab eſſentia. Quamuis enim Eſſentia ſit cauſa paſſionum in iſto genere, non tamen propriè & per veram Actionem, ſed per ſimplicem reſultantiam, quæ ſolet appellari *emanatio*. De conditionibus, & effectibus Agentis dicetur 7. Phyſ.

De

De Cauſa Inſtrumentali.

38. QVid eſt INSTRVMENTVM? eſt id, quod aſſumitur à Cauſa principali, & quo vtitur ad agendum: V.G. ſerra ad ſecandum. Duplex eſt, ſcilicet propriè, & impropriè dictum: propriè ſumptum eſt, quod ſupponit Cauſam agentem habere virtutem agendi, tam proximam, quam remotam: Impropriè verò eſt ipſa virtus proxima, quæ quodammodo dici poteſt inſtrumentum agendi, reſpectu ſubſtantiæ, cuius eſt virtus, vt dictum eſt *num.* 35. Et de hoc hic non agimus.

39. *Quotuplex eſt inſtrumentum propriè dictum?* Primò diuiditur in *coniunctum*, vt manus, & *ſeparatum*, vt Baculus. 2. In *Phyſicum*, quod Phyſicè influit, vt ſerra, & *Morale*, quod moraliter tantùm, vt ſigillum principis. 3. In naturale, ſupernaturale, & artificiale: *Naturale* eſt, quo mediante agens naturale producit effectum, vt lux Solis: *Supernaturale*, quod à Deo aſſumitur ad effectus ſupernaturales edendos, vt Sacramentum: *Artificiale* denique, quo artifex vtitur ad opus ſuum, vt ſecuris.

40. *Debetne recipere Inſtrumentum aliquam virtutem à principali agente?* Ita eſt: quia Inſtrumentum, de ſe nō habet virtutem attingendi effectum cauſæ principalis: V.G. ſerra non poteſt de ſe attingere lectum: ergo debet huiuſmodi virtutem accipere à cauſa prin-

cipali. Per quam acceptionem dicitur eleuari ab illa, & moueri ad agendum.

41. *Nõne ad hoc ſufficit ſubordinato ad Cauſam principalem?* Non, quia ſi nihil reciperet à principali Agente, non magis illi ſubordinaretur hoc inſtrumentum, quam aliud; nec magis vnum, quàm alterum cum principali agente ageret, ſicque nullo modo cauſaret.

42. *Per hanc virtutem acceptam, ſitne Inſtrumentum effectui proportionatum?* Fit proportionatum in ratione inſtrumenti V. G. ſerra fit proportionata Cathedræ; non verò in ratione cauſæ principalis, quia ars faciendi Cathedram eſt in illa tantùm fluenter.

43. *Debetne Inſtrumentum habere aliquam actionem ſibi propriam, præuiam actioni principalis Agentis?* Maxime, quia antequam aſſumatur ab Agente, debet habere in ſe aliquam virtutẽ, qua conſtituatur abſolutè in genere cauſæ efficientis; nam per virtutem cauſæ principalis conſtituitur tantùm tale agens, nõ verò agens abſolutè: Ergo antequã exerceat virtutem acceptam ab Agente, debet ſuam exercere, ſicque habere aliquam actionem propriã, quæ diſpoſitiuè ſe habeat ad actionem principalis Agentis, & effectum eius. Deinde, ſi nihil ageret ſibi propriũ, eſſet tantùm deferens actionem Agentis, ſicut aer defert influentias cæleſtes; per quam tamen delationem non conſtituitur inſtrumentum Cæli: Debet igitur aliquid agere ſibi propriũ, vt ſerra propria virtute ſecat, & ſecundò facit lectũ, penicillus facit

ima-

imaginem, applicando colores tabellæ, & in inſtrumentis ſupernaturalibus, aqua in Baptiſmo abluendo producit gratiam, & Corpus Chriſti per contactum producebat ſanitatem &c.

44. *Quem effectum producit?* Semper ſe nobiliorem, quia non ſua, ſed alterius virtute producit.

De Cauſis per accidens, ſcilicet Fortuna, & Caſu, ac de Fato, quod eis opponitur.

45. *QVotuplex eſt Cauſa per accidens?* Quadruplex: *prima* eſt, quæ nihil operatur ad effectum, vt Muſica ædificatoris nihil confert ad ædificium. *Secunda* eſt, quæ aliquid operatur, remouendo impedimentum, vt qui remouet columnam, cauſa eſt decenſus lapidis, & extinguens candelam cauſa tenebrarum. *Tertia* eſt, quæ operatur aliquid, cui coniungitur alius effectus, quem tamen ipſa non attingit; & hæc propriè dicitur occaſio, quomodo perſecutio tyranni dicitur cauſa per accidens, & occaſio patientiæ Martyrum; perſecutio enim non attingit patentiam, ſed cruciatum. *Quarta* denique eſt, quæ ita operatur, vt licet effectus contingat præter eius intentionem, tamen reuera illum attingit; & illa dicitur fortuna, vel caſus.

46. *Quid eſt* FORTVNA? eſt cauſa per accidens in his, quæ raro contingunt, & ſecundùm propoſitum fiunt propter finem; vt

qui inuenit theſaurum fodiendo terram, dicitur fortuna, quia per accidens, & rarò contingit, quod fodiens terram inueniat theſaurum, licet ex propoſito terram fodiat.

47. *Quid eſt* CASVS? Eſt cauſa per accidens, in his, quæ rarò contingunt, vt lapis cadens in terram occidit hominem, dicitur caſus, quia hoc rarò contingit. Caſus dicitur de rebus omnibus, fortuna de intelligentibus tantùm: Aduertendum itaque, in his cauſis duplicem reperiri effectum, primus eſt, qui intenditur per ſe à cauſa, V. G. foſſio terræ à fodiente; alter eſt per accidens V. G inuentio theſauri; vterque tamen à cauſa attingitur, vt dictum eſt.

48. *Poteſtne eſſe aliquis effectus caſualis, & fortuitus reſpectu Dei?* Non, quia omnis cauſa per accidens reducitur in cauſã per ſe: Ergo ſi aliquid caſuale poſſet eſſe reſpectu Dei, deberet dari aliqua alia cauſa ſuperior, quæ eſſet cauſa per ſe: hoc autem fieri non poteſt, cùm Deus ſit prima cauſa. Deinde poteſt quidem eſſe aliquid præter intentionem agentis particularis, non autem præter intentionem vniuerſalis, qualis eſt Deus. Ergo.

49. *Quid eſt FATVM?* ſecundùm Antiquos eſt cauſa quædã neceſſaria, ſeu ineuitabilis ordinatio rerum omnium; ſecundùm Catholicos autẽ eſt ipſa præordinatio cauſarũ ſecundarũ ad certos, & determinatos effectus ab æterna Dei prouidentia facta, & veluti pronunciata: quæ quidẽ infallibilis eſt, quia Deus in ſui diſpoſitione non fallitur;

non

non tamen neceſſitatem rebus omnibus imponit; ſed ſecundùm modum cuiuſque, cauſas determinat, & ad varios effectus, varias quoque cauſas aptat.

50. *Quomodo definitur à Boetio?* FATVM eſt inhærens rebus mobilibus immobilis diſpoſitio, per quam prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus. Fatum Antiquorum, reijcitur, ideo dicit Greg. *Hom.* 10. *Epiph. Abſit à fidelium cordibus, vt fatum eſſe aliquid dicant*. Sed Catholicorum admittitur: Vnde D. Aug. 5. *de ciuit.* 1. *Si propterea quiſquam fato tribuit; quia ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem fati nomine appellat, ſententiam teneat, & linguam corrigat*. Id eſt non fatalia omnia dicat, ſed diuina prouidẽtia ordinata.

De Cauſa Finali.

51. QVid eſt FINIS? Eſt id cuius gratia aliquid fit, ſeu propter quod Agens operatur.

52. *Eſtne vera cauſa realis, & Phyſica?* Ita eſt; quia verè, & realitér propter illam fit effectus; (niſi temerè Agens agat) Et quamquam dicatur mouere Metaphoricè, ſi comparetur eius motio cum motione cauſæ efficientis, quæ realiter exiſtit dum mouet, finis verò exiſtit tantùm in apprehenſione: tamen realiter mouet in genere ſuo, quod talem motionem Metaphoricam requirit.

53. *Quomodo diuiditur Finis?* Primò in finem *cuius*, finem *cui*, finem *quo*, & finem

qui. Finis *cuius* eſt ille, cuius gratia aliquid fit, vt ſanitatis cauſa medicina ſumitur. Finis *cui* eſt ille, cui deſideratur finis *cuius*, vt homini deſideratur ſanitas; finis *quo* eſt medium conducens ad vltimum finem, id eſt, quo ad illum peruenitur, vt Medicina ad ſanitatem. Tandem finis *qui* eſt effectus cauſæ agentis, vt ſanitas reſtituita. 2. In Finem vltimum, & non vltimum: *finis vltimus* eſt, ad quem omnia ordinantur: *non vltimus*; ad quē ordinantur aliqua cum ſubordinatione ad alterum, & dependentia. 3. In finem operis, & operantis: *finis operis* dicitur ille, qui eſt ipſi operi ſecundùm ſe debitus, vt bello pax: *finis operantis* eſt, quem ſibi ſtatuit operans, vt cùm fit bellum propter ambitionem. 4. In *finem primarium*, qui primò, & directè intenditur; & *ſecundarium*, qui ex conſequenti, & alio præſuppoſito. 5. In finem formalem, & obiectiuum: *finis formalis* eſt operatio, qua rem intentam poſſidemus, vt fruitio gloriæ cæleſtis: *finis obiectiuus* eſt res illa poſſeſſa, vt Deus in Cælis poſſeſſus.

54. *Per quid conſtituitur finis in actu primo?* Per appetibilitatem, nam ſicut de ratione materiæ eſt ſuſcipere formam, in quantum cauſa eſt, & formæ informare materiam, ita de ratione finis in quantum cauſa, eſt appeti.

55. *Quid eſt illa appetibilitas?* Eſt eius bonitas, vel ſaltem à bonitate naſcitur, quia nihil inuitare poteſt appetitum niſi tãtummodò bonum, quod eſt eius obiectum, vnde Ariſt. *Bonũ eſt quod omnia appetunt*: ſiue illud

fit

ſit verum bonum, ſiue apparens tantùm. Malum ergo ſub ratione mali non poteſt eſſe finis, quia non poteſt appeti; eſt enim extra obiectum appetitus.

56. *Bonitas illa eſtne conſtitutiua finis in actu primo, per ſuum eſſe reale, an per ſuũ eſſe intentionale?* Per ſuum eſſe reale, ſiuè ſit verè futurum, ſiuè poſſibile tantùm: quia voluntas ſolùm optat poſſidere finem ſecundùm eſſe reale, non verò ſecundùm eſſe intentionale: V.G. quando Auarus appetit diuitias, non appetit, vt illas habeat intentionaliter, id eſt in ſola apprehenſione intellectus. Sed realiter: ergo realis bonitas diuitiarum eſt, quæ mouet auarum, & ita conſtituit finem in actu primo cauſandi, potentem cauſare, ſeu, vt aiunt, finalizare.

57. *Quænam eſt cauſalitas, ſeu functio finis?* Cauſalitas finis non conſiſtit in oſtenſione ſuę bonitatis, aut inuitatione obiectiua; quia per illam non cauſat actu, nec producit effectum, cùm ſæpiſſimè inuitet finis bonitas, & tamen nulla fiat attractio voluntatis, nec vllus amor producatur; vt qui non eſt auarus, videt quidem diuitiarum bonitatem; non tamen eas appetit. Nec etiam eſt aliquid intentionale immiſſum à fine in voluntatem, quia ſic finis ageret efficienter, in quantum finis, quod implicat. *Cauſalitas* igitur finis eſt ipſamet Actio voluntatis, prout eſt à fine. Ad quod intelligendum aduertendum eſt, eandem Actionem voluntatis eſſe à duplici cauſa, ſcilicet à voluntate efficienter, quia

per

per illam producitur, tanquam actus per ſuam potentiam; & à fine in genere cauſæ finalis, quia gratia finis producitur; nam eadem actione voluntas ſe mouet, id eſt appetit res, & mouetur, ſeu allicitur à rebus: ſicut intellectus eadem intellectione ſe mouet, & attrahit res ad ſe.

58. *Natura agitne propter Finem?* Ita eſt quia omne Agens naturale intendit aliquid determinatum; quod ex eo apparet, quia ſemper eodem modo, (vt plurimùm) operatur: ergo non agit temerè, ſed ex intentione finis; vel quem cognoſcit, vt Agens intellectuale, vel qui cognoſcitur ab alio, à quo mouetur, vt cætera agentia; quæ licet non cognoſcant finem, agunt tamen propter illam: quia mouentur ab aliquo cognoſcente, & intendente finem, ſicut ſagitta à ſagittante dirigitur in ſcopum, vt in finem ab eo intentum.

59. *Natura intenditne Monſtra?* Non, quia MONSVRVM eſt effectus aliquis à recta, & conſueta diſpoſitione degenerans, ergo eſt præter intentionem cauſæ agentis, rectum effectum intendentis per ſe, & directè. Tamen ſecundariò intenditur: quia Natura intendit effectum quoquo modo haberi poſſit, perfectum, vel imperfectum; melior eſt enim effectus imperfectus quam nullus; & hoc eſt ſecundariò intendere. At verò, prima cauſa per ſe intendit Monſtra, cuius ordinationi, & diſpoſitioni non ſolùm ſubſunt effectus per ſe intenti à cauſis ſecundis,

dis,ſed etiam fortuiti,& caſuales, cuiuſmodi ſunt monſtra: quæ licet in ſe deformia ſint, non tamen parùm ad Vniuerſi pulchritudinem conferunt.

60. *Quænam eſt conditio cauſæ finalis?* Eſt apprehenſio, quia nihil volitum, quin præcognitum; ergo debet cognoſci finis ab intellectu, antequam appetatur à voluntate. Deinde finis ad hoc, vt moueat, debet aliquo modo exiſtere: non poteſt autem alio modo exiſtere, quàm in intellectu per apprehenſionem; quia ſi de facto eſſet, non appeteretur, ſed poſſideretur: Ergo apprehenſio eſt conditio abſolutè neceſſaria ad hoc, vt finis ſuam exerceat cauſalitatem.

61. *Quiſnam eſt effectus finis?* Omnes actiones Agentis, quia gratia finis fiunt: item media omnia ad finem aliquem conducentia, quia non per ſe, ſed propter finem appetuntur, ſicut Medicina propter ſanitatem: Tandem finis ipſe, qui eſt cauſa ordine intentionis, eſt effectus ordine executionis: nam quod primum eſt in intentione eſt vltimum in executione. Agens autem, non dicitur effectus finis, licet dependeat à fine, vt ſubiectum motum; quia Agens non fit, ſed facit propter finem.

Finis Libri Secundi Phyſicorum.

LIBER TERTIVS
PHYSICORVM
De Motu, & Infinito.

1 Q*Votupliciter ſumitur Motus, ſeu mutatio?* Quadrupliciter: *Primò* ambit quamcumque actionem, ſiue Spiritualem, ſiue corpoream; ſic non ſolum volitiones, & intellectiones Angelicæ, ſed etiam diuinę appellantur motus à D. Th. *1.p.q.9.a.1.ad 1.* *Secundò* comprehendit mutationes, à materia dependentes, ſiue ſint inſtantaneæ; ſiue ſint actus perfectorum, ſiue imperfectorum. *Tertiò* comprehendit tantùm mutationes, quæ ſunt actus imperfectorum, & à materia dependentes inſtantaneæ, vel ſucceſſiuè. *Quartò* ſolum dicit mutationem ſucceſſiuam, vti vſurpat Ariſt. *5. Phyſ.* Vbi ait, ad tria tantum prędicamenta dari per ſe Motũ. Moueri autem, ſeu mutari generaliter loquendo eſt aliter ſe habere nunc, quã priùs.

2 *Quomodo definitur hic Motus ab Ariſtotele?* MOTVS eſt actus entis in potentia, prout in potentia: id eſt, eſt ipſe fluxus, & tranſitus rei, tendentis ad acquiſitionem formæ; ideo eſt actus imperfectus, & vialis: Vel, Motus

eſt

eſt actusMotiui,&Mobilis;motiui,vt à quo; mobilis,vt in quo. Ad euidentiam definitionis motus, aduertendum eſt, poſſe rem aliquam in triplici ſtatu conſiderari, ſcilicet, dum eſt in potentia tantùm, dum eſt in actu tantùm, & dum medio modo ſe habet, id eſt, dum eſt in via, & fluxu à potentia ad actum: primò modo res nondum mouetur, ſecundo modo iam mota eſt;tertio verò modo dicitur moueri. Quo ſuppoſito manifeſtum eſt, motum eſſe actum entis in potentia prout in potentia, nam hoc ipſo, quod recipitur in mobili, eſt actus entis, quia actuat illud: Quatenus verò eſt via, & tendentia ad terminum, relinquit mobile in potentia ad illud; & ſic eſt actus entis in potentia, prout in potentia eſt ad formam, & actum, perfectum: V.G Calefactio eſt actus aquę nondum calidæ, & ita in potentia ad Calorem, ſed prout præciſè eſt in illa tendentia ad Calorem: nam per calefactionem tendit ad calorem, quo habito ceſſat calefactio.

3. *Quibus mutationibus ex quatuor præmemoratis num. 1. conuenit hæc motus definitio?* Tertio modo ſumptis, quæ ſunt actus imperfectorum. Quia licet in inſtantanea mutatione non detur ſucceſſio realis, & acquiſitio formæ, quaſi per partes: tamen importatur ſucceſſio naturæ; priùs enim natura intelligitur generatio in ſubiecto,quàm forma introducta.Sed proprijſſimè cõuenitMotus Phyſicus mutationibus ſucceſſiuis, quæ ſunt tres, Alteratio, Augmentatio, & Latio.

4. *Quid*

4. *Quid intelligitur per actus imperfectorum?* Intelliguntur actus rerum imperfectarum, id eſt, quę ſunt adhuc in potentia ad vlteriorem actum; (potentia enim eſt imperfectio.) Itaque volitiones,ſenſationes, intellectiones dicuntur actus perfectorum, quia ſunt rei exiſtentis in actu; è contra generatio, alteratio &c. Sunt actus imperfectorum, quia ſunt rei exiſtentis in potentia, & tendentis ad actum.

5. *Quomodo diſtinguitur motus ab Actione, & Paſſione?* Diſtinguitur ante omnem mentis operationem: quia motus eſt quid incompletum à prædicamentis excluſum; Actio autem, & Paſſio ſunt quid completum, & Prædicamenta conſtituunt.

6. *Quomodo igitur intelligendum eſt commune proloquium, quòd Actio, & Paſſio ſunt vnus motus?* Intelligitur materialiter, id eſt Actio, paſſio, & motus ſunt vna, & eadem entitas realiter, quæ dum egreditur ab agente vocatur *Actio*; dum recipitur in ſubiecto, *Paſſio*, dum fluit, *Motus* appellatur: Sed non ſunt idem formaliter; ſeu modaliter, quia Actio ſupra motum addit egreſſum, & paſſio receptionem, quæ ſunt formaliter modaliter diſtinctæ ab ipſo tranſitu, quem Motus formaliter importat.

7. *Motus eſtne prior Actione?* Eſt prior in genere cauſæ materialis, quia eſt ſubiectum *quo* Actionis & Paſſionis: At verò Actio eſt prior in genere cauſæ efficientis, quia per Actionem egreditur Motus ab Agente.

8. *Di-*

8. *Diſtinguiturne Motus à termino realiter?* Ita eſt, nam eſt duplex terminus *à quo*, & *ad quem*: Ab vtroque autem diſtinguitur; nam motus vnum relinquit, & alterum nondum habet. Ergo ab vtroque ſeparatur. Deinde motus eſt quid incompletum, terminus verò V. G. calor in alteratione, eſt quid completum. Quando igitur aliquid mouetur, duplicem realitatem habet, vnam vialem, quæ mutat ſubiectum *vt quo:* aliam perfectam, quæ mutuat ſubiectum *vt quod* (Comparatione facta cum alia.) Prima eſt motus, ſecunda eſt eius terminus.

9. *Effectus Agentis, & terminus Motus diſtinguuntur ne?* Sunt idem realiter, ſed ſub diuerſa ratione ſpectantur: V. G. eſt idem calor, qui fit ab agente, & qui terminat motum calefactionis.

10. *Quodnam eſt ſubiectum Motus, Actionis, Paſſionis, & Termini?* Hæc omnia ſubiectantur in mobili ſeu Paſſo. De Paſſione, & termino nullum eſt dubium, nam lignum, quod calefit, dicitur pati, & recipere calorem: de Motu certum eſt etiam, nam Motus eſt actus entis in potentia, atqui mobile eſt ens in potentia: Ergo tandem Actio trãſiens ſubiectatur ſimiliter in Paſſo; quia entiatiuè eſt idem cum Motu, atqui motus eſt in Mobili: Ergo Dicitur itaque Actio eſſe Agentis, vt *à quo* egreditur, Paſſi verò, vt *in quo* recipitur. At Actio immanens ſubiectatur in Agente, vnde, & dicitur immanens, quia manet in illo, vtpotè perfectio eius; quod dici nequit de

actione

actione tranſeunte, quæ non eſt perfectio Agentis, ſed Paſſi, id eſt non eſt introductio alicuius formæ in Agente, ſed in Paſſo: V. G. calefactio eſt introductio caloris in ligno; non in igne. Actio tamen moraliter ſumpta, ſiue Phyſicè tranſiens, ſiue immanens eſt in Agente, quia fundatur ſupra actum liberum voluntatis, qui manet in Agente. De diſtinctione, vnitate, & contrarietate Motus, dicitur in 5. *Phy.*

De Infinito.

11. *Quomodo definiebant Antiqui Infinitum?* Hoc modo: INFINITVM eſt, cuius nihil eſt extra: quaſi dicerent ifinitum omnia in ſe continere, quæ ad propriam rationem pertinent, & nihil horum ei deeſſe: quæ definitio reijcitur ab Ariſtotele, quia ſic infinitum conueniret Toti cuilibet, & perfecto, quæ tamen non ſunt infinita.

12. *Quomodo definitur ab Ariſtotele?* INFINITVM eſt, cuius partes accipientibus ſemper reſtat aliquid accipere: id eſt, quod caret terminis ipſum finientibus, & limitantibus. Quod dupliciter fit, vel perfectione, vt Deus, vel imperfectione, & negatiuè, vt punctum, & alia indiuiſibilia; item materia prima: quæ neque eſt quid, neque quantum, &c.

13. *Quotuplex eſt Infinitum?* Duplex, alterum in omni genere entis, quo pacto ſolus Deus eſt infinitus, alterum in aliquo tantùm genere, puta ſubſtantiæ, quantitatis &c. Et

hoc

hoc duplex eſt, aliud actu infinitum, aliud in potentia: primum ſolet appellari Categorematicum, ſecundum ſyncategorematicum. Primum, ex his, quæ habet actu ſemper accipienti, reſtat aliquid accipere: alterum actu quidem finitum eſt, ſed ſemper reſtat aliquid accipere ex his, quæ poteſt habere, & ita eſt infinitum in potentia: quod contingit tripliciter, ſcilicet ſucceſſione, additione, & detractione; *ſucceſſione*, vt tempus, & motus, quibus alia, & alia duratio poteſt ſuccedere in infinitum: *additione*, vt numerus, quia nullus excogitari poteſt, qui additione vnitatis maior fieri non poſſit: *detractione*, vt continuum, quia nullum eſt tam exiguum, quod detracta aliqua parte, minus fieri non poſſit in infinitum.

14. *Nonne Infinitum attribui poteſt formæ ſicut materię; nam ſicut materia finitur per formam, ita forma per materiam; & ſicut materia non habens formam dicitur infinita, eo quod eſt in potentia ad infinitas formas, ita forma non recepta in materia, communis eſt ad multa in ſe conſiderata?* Poteſt quidem, ſed cum hac differentia, quod infinitum, quod attribuitur materiæ, habet rationem imperfecti, eo quod materia perficitur per formam: infinitum verò, quod attribuitur formæ, non determinatæ per materiam, habet rationem perfecti; eo quod per materiam amplitudo formæ contrahitur, & limitatur. Ex quo ſequitur ESSE diuinum, eſſe infinitum, & perfectum, quia eſt forma non recepta.

15. *Poteſtne diuinitùs dari aliquod ens creatum, quot ſit infinitum actu?* Non, quia omne, quod eſt creatum, eſt in aliquo certo, & determinato genere, & clauditur terminis, ſcilicet, genere, & differentia, vltra quos non eſt: Ergo non poteſt eſſe infinitum actu in eſſentia, id eſt habere eſſentiam infinitas perfectiones complectentem.

16. *Poteſtne dari infinitum actu in magnitudine?* Non, quia, quod habet determinatam formam, requirit etiã determinata accidentia, inter quę eſt quantitas: atqui omne quantum habet determinatam formam: Ergo.

17. *Poteſtne dari Infinitum actu in multitudine?* Non, quia omnis multitudo eſt aliquis numerus, finitur autem numerus per vltimam vnitatem, à quà ſpecificatur, vt dictum eſt *in Categ. nu.* 45. Ergo. Deinde exhauriretur potentia diuina, ſi infinitam multitudinem produceret, quia nihil reſtaret faciendum. Tandem Infinitum, ſiue in magnitudine, ſiue in multitudine, nõ poteſt fieri niſi ex additione partium ad alias: vel igitur finitæ partes adderentur, vel infinitæ: ſi finitæ, non poſſet fieri Infinitum; ſi infinitæ, ergo iam ſupponeretur infinitum, quod additione non fieret. Ergo non poteſt eſſe actu infinitum quodcumque creatum. Non implicat autem Syncategorematicè, & in potentia, vt ſupra dictum eſt, *num.* 13.

18. *Infinitum eſtne contra rationem magnitudinis?* Non quidem magnitudinis in communi, ſed in ſpeciali; quia nulla eſt ſpecies

ma-

magnitudinis,quę poſſit eſſe infinita,ſcilicet *bicubitæ*, *tricubitæ*, *circularis*, &c. cùm omnes hæ figuræ lineis claudantur. Non eſt autem poſſibile aliquid eſſe in genere, quod in nulla ſpecie eſſe poteſt. Idem dicendum de infinito in multitudine.

19. *Poteſtne dari Infinitum vnum maius alio?* Poteſt materialiter, ita quod vnum magis habeat de materia, quam aliud; non autem formaliter, id eſt quantum ad ipſam rationem Infiniti, quod dicit carẽntiam termini, & ſic in indiuiſibili conſiſtit.

20. *Poteſtne dari infinitum relatiuè, id eſt quod terminetur ad infinitum actu?* Maximè, nam maternitas B. V. vnio humanitatis Chriſti cum verbo, & gloria Sanctorum terminantur ad ipſum Deum infinitum: Ergo habent infinitatem quãdam relatiuam. Sed hoc Theologis relinquendum, eſt inueſtigandum.

Finis Libri tertij Phyſicorum.

LIBER QVARTVS
PHYSICORVM
De Loco, Vacuo, & Tempore.

1. E *Ex quo intelligitur dari Locum? Primò* ex tranſmutatione locali: ſicut enim ex tranſmutatione, ſecundùm formam, & eſſe ſubſtantiale, rectè colligitur dari materiam diſtinctam à forma, quia oportet eſſe aliquod ſubiectum, in quo ſibi formæ ſuccedant: ita ex tranſmutatione locali, rectè colligitur dari locum diſtinctum à locato, quia oportet eſſe aliquid, in quo ſibi corpora ſuccedant. *Secundò* ex virtute quadam loci, ad ſe trahendi locatum, illudque conſeruandi: quod enim habet virtutem conſeruandi aliquid, & illud ad ſe per modum finis attrahēdi, eſt aliquid in ſe, eſtque quid diſtinctū ab illo, quod ad ſe trahit, & conſeruat; ſed locus trahit ad ſe, & conſeruat locatum, grauia enim ferūtur deorſum, & leuia ſurſum, tanquam in propria loca, deſiderio ſuæ conſeruationis. *Tertiò* ex modis eſſendi in alio: cū enim, nihil ſit primò, & per ſe in ſeipſo, ſed in alio; ille modus eſſendi in alio denotat id, in quo propriè eſt aliud, eſſe verè aliquid

in ſe diſtinctum ab eo, quod eſt in illo: ſed omnes modi eſſendi in alio, reducuntur ad modum eſſendi in alio, tanquam in loco, ergo modus eſſendi in loco eſt maximè proprius, & conſequenter locus eſt aliquid, quod reuera datur.

2. *Quot ſunt modi eſſendi in alio?* Octo, primò ſicut partes in Toto. 2. ſicut Totum in partibus. 3. ſicut ſpecies in Genere. 4. ſicut Genus in ſpecie. 5. ſicut forma in ſubiecto. 6. ſicut in cauſa efficiente, vt arbor in ſemine. 7. ſicut in fine, quē amat, vt amans in re amata. 8. ſicut in Loco, vt aqua in vaſe. Et hic modus eſſendi in alio eſt propriiſſimus, reliqui verò dicuntur per ſimilitudinem ad illum.

3. *Quomodo definitur?* LOCVS eſt vltimum corporis ambiendis, immobile, primum; id eſt vltima ſuperficies corporis, vltima quidem reſpectu corporis ambientis, prima vero reſpectu corporis circundati.

4. *Nonne Locus dicitur illud ſpatium, quod eſt V.G. inter latera vaſis, in quo eſt aqua?* Nullatenus, quia, vel illud ſpatium eſt aliquod corpus trinam habens dimenſionem, vel ſumitur pro illa trina dimenſione, vel eſt aliquid imaginarium. Primū dici nequit, quia ſic duo corpora ſeſe penetrarent (cùm penetratio ſit naturaliter impoſſibilis:) neque ſecundum, quia accidens non poteſt eſſe ſine ſubiecto, trina autem illa dimenſio eſſet ſine ſubiecto: non enim eſſet in locato, quia locus realiter ſeparatur à locato, quod non poteſt dici de dimenſione Locati. Nec tandem eſt

aliquid, imaginarium, quia, vt dictum eſt *nu.* 1. Locus eſt quid reale. Relinquitur ergo, vt Locus ſit vltima ſuperficies corporis ambientis, in qua continetur res Locata.

5. *Quare Locus dicitur immobilis?* Quia habet rationem termini *à quo*, & *ad quem* in motu locali: nam per motum deſeritur vnus Locus, & acquiritur alius: atqui immobilitas eſt de ratione termini, nam motus reperitur tantùm inter terminos non in terminis: Ergo locus debet eſſe omnino immobilis.

6. *Nonne ſuperficies V. G. aeris ambientis turrim mouetur, dum aer à vento agitatur, ſicq; Locus turris mouebitur?* Mouetur quidē, non tamen locus turris mouetur: quia ſuperficies illa aeris dupliciter conſideratur, ſcilicet in eſſe entis, prout eſt ſuperficies talis corporis, abſque hoc, quod gerat officium Loci; & in eſſe Loci, id eſt prout tale exercet officium, quod eſt alterum locare: primò modo ſuperficies eſt mobilis, quia corpus, cuius eſt ſuperficies moueri poteſt, eſtque quid materiale reſpectu loci: ſecundo autem modo ſumpta eſt immobilis, quia non exercet officium Loci, niſi dicendo talem, vel talem ordinem, & diſtantiam ad primum locans nempè cælum, quod ſecundùm quædam puncta immobile eſt: Ergo cùm ſemper ſit talis, vel talis diſtantia ab illa ſuperficie ad puncta immobilia, ſequitur illā ſuperficiem, vt Locus eſt, eſſe immobilem. Succedat igitur, quantuncumque volueris, vna ſuperficies aeris alteri, erit tamen vnus, & idem locus turris,

quia

quia variatio erit ſolùm materialis, non formalis in ratione Loci: ſicut variatio aquæ fluminis non facit diuerſum flumen.

7. *Quidnam propriè dicitur eſſe in Loco?* Solum corpus; quia ſolum corpus habet quantitatem, ratione cuius dicitur comprehendi, & circumſcribi à Loco. Vnde ſpiritus æquiuocè tantùm dicitur eſſe in loco, quia non habet quantitatem molis, ſed virtutis; hæc autem non continetur à loco, ſed potius locum continet. Corpus Chriſti in Euchariſtia non eſt, ſicut in loco, quia ibi non eſt per quantitatem propriam, ſed ſolùm per quantitatem ſpecierum. Indiuiſibilia ſunt in loco per accidens, id eſt ratione partium, & partes ratione Totius.

8. *Quænam eſt differentia inter eſſe præſens Loco, & eſſe in Loco?* Quod eſſe præſens abſtrahit ab eo, quod res contineat locum, vel à loco contineatur, vtroque enim modo res dicitur præſens loco; ſic Deus dicitur eſſe vbique præſens, quia continet omnia; Angelus dicitur præſens loco definitiuè, quia ad talem, vel talem locum eius virtus actiua definitur, & in illo operatur: Chriſtus verò realiter præſens eſt in Euchariſtia, quia realiter inuenitur ſub ſpecibus, quæ ſunt in loco. At verò eſſe propriè in loco, dicit tantùm contineri, & circumſcribi à loco, quod ſolis corporibus conuenit.

9. *Omne corpus eſtne in Loco?* Primum corpus, ſcilicet primum cælum non eſt formaliter in Loco; quia ſicut primum alterans

non alteratur, ita primum locans locari non debet, ſed omnia locare, & continere. Cætera verò omnia ſunt in loco, quia ab aliquo corpore circunſcribuntur. Poteſt tamen dici primum cælum eſſe in loco materiali, id eſt in ſpatio, quod occupat eius quantitas; vel eſt in loco aptitudinali, non actuali.

10. *Poſſuntne duo Corpora eſſe in vno Loco?* Non poſſunt naturaliter; quia ſicut quantitatis eſt ponere vnam partem extra aliam in ordine ad locum, ita vnum corpus extra aliud: ergo tunc diuerſum locum occupabunt; vnde impenetrabilitas eſt quantitatis proprietas Phyſica. At verò ſupernaturaliter poſſunt, vt de facto contingit in Natiuitate Chriſti ex vtero clauſo Virginis caſtiſſimæ, & reſurrectione ex monumento operto: quia Deus poteſt auferre iſtum effectum ſecundarium quantitatis, qui eſt extenſio partium in ordine ad locum; cùm non ſit de eſſentia eius.

11. *Poteſtne vnum corpus eſſe in pluribus locis circumſcriptiuè?* Nequaquam, quia contradictionem implicat; nam contineretur à loco, & non contineretur: contineretur quidem, vt ſupponimus; & non contineretur, quia eſſet extra quemlibet. Deinde hoc fieret naturaliter, & non naturaliter: non naturaliter quidē, cùm fieret per abſolutam Dei potentiam, vt aduerſarij fatentur; & naturaliter, quia omnis circumſcriptio eſt effectus naturalis quantitatis, quia quantitas

eſt

eſt forma naturalis, cuius effectus eſt ambiri, & circunſcribi ab alia quantitate. Tertiò, vel eſſet eadem quantitas in duobus locis, vel duplex: ſi duplex ergo non eſſet idem corpus, cùm idem corpus non póſſit habere duplicem quantitatem: ſi eadem, ergo non poteſt ponere corpus in duobus locis, quia hic effectus eſt ſaltem ſecundarius quantitatis, atqui impoſſibile eſt multiplicare effectum alicuius formæ, immultiplicata ipſa forma, quę cauſat tantum per ſui communicationem: ergo impoſſibile eſt, quod eiuſdem quantitatis ſit duplex poſitio in loco. Quartò, illud corpus eſſet vnum, & non vnum: vnum, vt ſopponimus; & non vnum, quia à ſe diuiſum. Quintò, quia poſſet fieri immenſum, cùm poſſet poni æquè in infinitis locis, ac in duobus. Sextò, quia locus continet locatum, vt terminus eius, vltra autem terminum nihil eſt.

12. *Poteſtne vnum corpus eſſe in pluribus locis aliquo alio modo?* Etiam, in vno ſc. per propriam quantitatem, & circunſcriptiuè, in alijs verò modo ſpirituali, vt patet de Corpore Chriſti in Euchariſtia, quod in mille locis reperitur, ratione totidem conuerſionum panis in ipſum, quæ ibi factæ ſunt, & ſic per alienam quantitatem, ſc. ſpecierum, ibi reperitur: per propriam autem in cælo tantùm. Sed hoc non eſt propriè, & modo quantitatiuo eſſe in pluribus locis.

13. *Quotuplex eſt Locus?* Primò diuiditur in internum, & externum: *internus* eſt illud

accidens, quod vocatur *vbi*, de quo in prædicamentis. *Externus* verò eſt ſuperficies circunſcribens locatum, de quo hìc fit ſermo: dicitur externus, quia eſt extra rem locatam; alter verò internus, quia eſt modus inhærens rei, ex hoc quod Loco externo adiacet. Locus externus diuiditur in *communem* qui multa continet, vt templum, forum; & *proprium*, qui vnum tantùm. 3. Diuiditur in *naturalem*, quem naturaliter corpora appetunt; & *Violentum*, qui non eſt conformis inclinationi, vt locus deorſum eſt violentus igni, naturalis verò locus ſurſum. Tandem diuiditur in *ſuperiorem*, *inferiorem*, & *medium*: ſuperior eſt verſus cœlum, inferior verſus terram, medius inter extrema.

14. *Quænam ſunt prioprietates Loci? Prima* continere locatum, *Secunda* eſſe illi æqualem, æqualitate contingui: *Tertia* conſeruare res: *Quarta* in omni Loco inueniri ſurſum, & deorſum.

De Vacuo.

15. *QVid eſt Vacuum?* Eſt Locus non repletus corpore, vt ſi vas, neque acqua, neque alio liquore, aut ſaltem aere repleretur, diceretur Vacuum.

16. *Spatium illud inane, quod ſupra cælos fingitur, poteſtne dici Vacuum?* poteſt impropriè, & æquiuocè, ſicut Homo pictus dicitur Homo.

17. *Poteſtne dari Vacuum in rerum natura?*

Nulla

Nulla virtute creata poteſt, quia eſt contra inclinationem naturæ vniuerſalis: nam per vacuum deſtruitur ordo vniuerſi, qui conſiſtit in Vnione partium, & colligatione; ita vt inferior ſubijciatur actioni Superioris: quod nõ poſſet eſſe, ſi daretur Vacuum, quia ſuperius non tangeret inferius, ſed omnino ab illo eſſet diuiſum: atqui nulla virtus creata poteſt inducere aliquid contra inclinationem totius naturæ, quia ſic ageret in totam naturam, quod ſolummodo pertinet ad eius authorem: Ergo nulla virtus creata poteſt inducere vacuum. Vnde videmus aquam contra propriam inclinationem aſcendere per fiſtulam ad impediendum vacuum, quia bonum commune potius eſt bono particulari cuiuſcumque partis. Nec reſpondendum eſt, Vacuolum aliquod non poſſe eſſe tantum naturæ malum, & ſic poſſet ſaltem illud dari; non inquam hoc dici poteſt, quia ſi poſſet dari paruum, poſſet quoque fieri magnum, & ſic natura turbaretur.

18. *Poteſtne Deus facere Vacuum?* Maximè, quia poteſt annihilare aliquod corpus, quod cum fiat in inſtanti, non poterit ſuccedere aliud corpus, quia ſucceſſio localis non fit in inſtanti: Deinde poteſt ipſe negare concurſum, vt aliud ſuccedat.

19. *Poteſtne fieri motus in Vacuo, ſi daretur?* Ita, quia Vacuum non tollit virtutem motiuam Agentis, (Præcipuè ſi mouens eſſet extra Vacuum,) ergo poſſet mouere aliquod corpus in Vacuo. V. G. proijciendo

lapidem; nec tollit virtutem paſſiuam mobilis; imò nulla eſſet reſiſtentia ex parte medij, & ita celerior foret motus; licet ſucceſſiuè fieret, quia inſumeret aliquod tempus, ab initio vſque ad terminum ſuum.

20. *Si ceſſaret motus in Vacuo, acquireretne mobile aliquod vbi?* Non acquireret vbi circunſcriptiuum perfectè, & immediatè, ſed imperfectè, & mediatè, in quantum haberet aliquam diſtantiam ad puncta aliqua Mundi. Quod ſi eſſet tantum vnum corpus creatũ à Deo in ſpatio imaginario, tale corpus non poſſet moueri motu locali poſitiuo, quia tolleretur omnis differentia Locorum: ſed hoc eſt per accidens, quia deeſt materia, circa quam producatur Vbi, vel immediatum, vel ſaltem mediatum.

21. *Extra hoc vniuerſum poteſtne fieri motus ex grauitate, vel leuitate?* Non; quia talis motus eſt ad centrum; extra autem hoc vniuerſum, nullum eſt centrum: Ergo.

De Tempore.

22. QVid eſt tempus? *Secundùm communem vſum, tempus ſignificat durationem rerum terrenarum, & mutabilium.*

23. *Quid eſt Duratio?* Eſt permanentia rei in ſuo Eſſe. Triplex eſt, ſcilicet Æternitas, Æuum, & Tempus: quarum durationũ aliqui hanc aſſignant differẽtiam, quòd Æternitas principio, & fine careat, Æuũm fine careat, ſed habeat principium, Tempus denique

nique & principium, & finem habeat. Sed quamquam hæc diſtinctio vera ſit, accidentalis tamen eſt. Eſſentialis itaque differentia eſt, quod Æternitas eſt duratio rei omnino immutabilis: Æuum eſt duratio rei immutabilis quidem ſecundùm eſſe, mutabilis verò ſecundum operationem; Tempus denique rei omninò mutabilis. Prima conuenit Deo, ſecunda Angelis, & Cælis, tertia cæteris omnibus.

24. *Diſtinguiturne duratio à re durante?* In creatis diſtinguitur realiter, & ante omnem mentis operationem, quia eſt proprietas rei durãtis, cùm ſit extenſio exiſtentię ipſius in rerum natura: nam V.G. Homo in primò inſtanti ſuæ generationis exiſtentiam habet, nõ autem durationem ſuam, quę eſt tempus, quod in illo inſtanti nõ eſt: Ergo exiſtentia præſupponitur ad durationem; & ſic realiter modaliter diſtinguitur ab illa. Intellige de duratione formali, non fundamentali, quæ eſt ipſamet res, vt continuò conſeruata; formalis verò eſt menſura rei durantis.

25. *Quomodo definitur Tempus ab Ariſtotele?* TEMPVS eſt numerus motus ſecundùm prius, & poſterius: numerus, id eſt menſura. Itaque tempus non eſt motus, vt Antiqui definiebant, quia motui conuenit velocitas, & tarditas, non autem tempori: ſed eſt id, per quod cognoſcimus quantitatem motus, ſeu potius eſt ipſa motus quantitas, & extenſio, omne enim cõtinuum menſuram habet, ſicut pannus vlna menſuratur. Hinc fit per

motum Tempus cognoſci, vt ſi Socrates tres Leucas confecit, cognoſcimus plus temporis inſumpſiſſe, quàm ſi duas tãtùm; & qui propter Somnum, ebrietatem, vel aliam cauſam, motum non percipiunt, nec tempus quoque lapſum eſſe arbitrantur. Cæterum, vt percipiatur tempus ſat eſt, ſi percipiatur aliquis motus, ſaltem phantaſiæ, vel cogitatiuæ; nam, ſi quis ſedeat ſpeculans in camera, & nullum motũ exteriorem ſentiat, ex ſolo motu phantaſiæ percipiet tempus prętерire.

26. *Quare dicitur menſura motus ſecundum prius, & poſterius?* quia hæc eſt differentia inter res labentes, & permanentes, quòd permanentes habent omnes ſuas partes ſimul exiſtentes; labentes verò non ita; ergo neceſſe eſt, vt labentium menſura ſit ſecundum partes priores, quæ iam fluxerunt, & poſteriores, quæ aliquando fluent.

27. *Tempus eſtne aliquid reale?* Ita, quia eſt duratio rei realiter exiſtentis, & menſura motus realis; menſura inquam actiua aptitudinalis, & in actu primò independenter ab intellectu: nã nemine cogitante duratio motus extenſionem quandam habet. Sed dicitur tempus pendere ab anima, vt ait Phyloſ. id eſt ab intellectu, quantùm ad actualem numerationem, quia intellectus accipit partes priores, & poſteriores, quę non ſunt actu, & eas actu vnit, vt habeatur tempus quodcumque: igitur ſi anima non eſſet, tempus non eſſet, id eſt non actualiter menſuraret.

28. *Diſtinguiturne realiter à motu?* Etiam, quia

quia poſſunt eſſe duo motus inæquales in ſe, V. G. ſi vnus ſit velox, & alter tardus, qui tamen erunt ęquales in duratione, vt ſi vterque per tres horas fiat: Ergo tempus, ſeu duratio eorum, debet ab ipſo motu realiter diſtingui.

29. *Quomodo exiſtit Tempus?* Exiſtit tantùm per inſtans vniens partes priores cum poſterioribus: quia non poteſt exiſtere per partes priores, quæ amplius non ſunt; nec per poſteriores, quæ nondũ ſunt: ergo debet exiſtere per id, quod eſt medium inter vtraſque partes, ſc. inter præteritum, & futurum; atqui illud non eſt niſi inſtans: quia nulla pars temporis poteſt per ſeipſam, & ratione ſui eſſe inter præteritum, & futurũ, eo quod pars temporis etiã minutiſſima habet prius, & poſterius, cùm ſit diuiſibilis in infinitum, & de ratione continui labentis ſit habere partem poſt partem, id eſt priorem, & poſteriorem, ſeu prętеritum, & futurũ, ergo nulla pars temporis poteſt eſſe præſens: ergo reſtat, vt ſit inſtans, ſeu ipſũ *Nunc* temporis, quod præſentialiter exiſtat. Quod poteſt inſuper hac ratione confirmari. Exiſtentia cuiuſque rei accipitur, quãdo res eſt in facto eſſe: atqui nulla pars temporis per ſe poteſt eſſe in facto eſſe; quia de ratione rei fluentis eſt, vt partes ſemper fluant, & conſequenter ſunt ſemper in fieri, cùm factũ eſſe ſit fluxiſſe: Ergo nihil temporis poteſt eſſe in facto eſſe, niſi inſtans, quod immediatè terminat præteritam, & inchoat futuram: & ſecun-

dùm hoc dicitur illa pars immediatè elapſa exiſtere, per hoc, quod eius terminus eſt in facto eſſe. Niſi dicas illam partem exiſtere in fieri, ſed hoc eſt imperfectè exiſtere, nam fieri tendit ad effectum eſſe.

30. *Quotuplex eſt Tempus?* Duplex; ſcilicet internum, & externum: internum eſt cuiuſcunque rei temporalis duratio: tempus verò externum, eſt illa vniformis duratio, qua cæteræ durationes menſurantur ſc. duratio primi Mobilis, quæ ipſi eſt quidem intrinſeca, ſed cæteris omnibus extrinſeca.

31. *Quare duratio primi Mobilis eſt menſura, & regula cæterarum?* Quia eſt prima, vniformior, & indeficiens: primum namque cuiuſque generis eſt menſura omnium illius generis.

32. *Suntne plura tempora, vel vnum?* Sunt plura interna, quia vnaquæque res habet ſuam propriam durationem: ſed eſt vnum tantùm externum, ſc. duratio motus primi Mobilis, quæ Antonomaſticè, & abſolutè dicitur Tempus.

33. *Quænam res menſurantur Tempore?* Motus per ſe primò tempore menſuratur, & ratione motus omnes res mutabiles, non ſolùm, vt actu mouentur, aut quieſcunt, ſed etiam, vt mobiles ſunt; quia, vt mobiles, habent quantitatem, & extenſionem exiſtentiæ, cui propriè debetur menſuratio: idcirco temporalia dicuntur mutabilia, non ſolùm quantum ad operationem, ſed etiam quantum ad eſſe. Phyſicè ergo ſpectata eſſen-

tia,

tia, ſeu ſubſtantia rei corruptibilis menſuratur tempore, non verò Metaphyſicè conſiderata; quia ſic non habet prius, & poſterius, ſed in indiuiſibili conſiſtit. Secundò, quies priuatiua menſuratur tempore per accidens, & ſecundariò, id eſt per motum, qui tunc potuiſſet eſſe: ſic dicimus Petrum ſediſſe per tres horas, ſicut dicimus ambulaſſe.

34. *Quænam ſunt proprietates temporis?* Prima eſt, quòd quælibet pars ſit diuiſibilis in infinitum, ſi continuè ſumatur; indiuiſibilis verò, ſi ſumatur diſcretè. Secunda, quod dicatur longum, vel breue, multum, vel paucum. Tertia, quòd dicatur idem in omnibus. Quarta, quòd idem redeat (ſpecie non numero) Quinta, quòd ſit menſura motus, & motus eius menſura.

Finis Libri Quarti Phyſicorum.

LIBER

LIBER QVINTVS

PHYSICORVM

De Diſtinctione, vnitate, & Contrarietate Motus.

1. QVomodo diſtinguitur motus à mutatione? Quòd omnis motus eſt mutatio, ſed non omnis mutatio eſt motus: nam mutatio eſt tantùm tranſitus de vno ad aliud, id eſt de termino à quo ad terminũ ad quem; motus verò requirit conditiones infrà aſſignandas, *num.* 3.

2. *Quot modis ſit mutatio?* Quatuor tantùm imaginari poſſumus, ſcilicet de poſitiuo in poſitiuum, de negatiuo in negatiuum, de negatiuo in poſitiuum, & de poſitiuo in negatiuum: ſeu de ente in ens, de non ente in non ens, de non ente in ens, & de ente in non ens. Secunda eſt impoſſibilis, cæteræ poſſibiles: prima pertinet ad motum, tertia ad generationem, quarta ad corruptionem.

3. *Quænam ſunt igitur conditiones motus ſucceſſiui, de quo hic loquimur?* Prima eſt, vt ſit inter terminos poſitiuos: ſecunda, vt illi termini ſint contrarij, ſaltem contrarietate latè ſumpta: Tertia, vt habeat latitudinem ſucceſſiuè percurrendam.

4. *Quo-*

4. *Quomodo diſtinguuntur Motus?* Ratione diuerſorum terminorum ad quos tendunt: ita vt, ſi termini ſint genere diſtincti, motus quoque erunt genere diſtincti; ſi ſpecie, ſpecie.

5. *Quare non ſumitur diſtinctio motus à Termino à quo?* Quia terminus à quo ſe habet veluti per accidens ad motum, cum relinquatur per motum: at verò terminus ad quem per ſe reſpicitur à motu, quia motus eſt tendentia ad illum acquirendum. Habet tamen ordinem quendam etiam ad terminum à quo, quia motus eſt inter vtrumque.

6. *Quomodo termini ad quos fit motus, ſunt genere diſtincti?* Quando pertinent ad diuerſas categorias, ad quas motus per ſe terminatur; V. G. calefactio diſtinguitur genere à circulatione, quia circulatio eſt motus localis, qui terminatur ad *vbi*, calefactio verò eſt alteratio, quæ terminatur ad *qualitatem*: ergo ad diuerſas categorias terminantur.

7. *Quot ſunt categoriæ, ad quas per ſe datur motus.* Tres tantùm; ſcilicet Quantitas, Qualitas, & vbi. *Quantitas* terminat motum augmentationis, & diminutionis, *Qualitas* motum alterationis, & *Vbi* motum localem. Quia hæc tantùm tres Categoriæ, non verò cæteræ, habent conditiones motus ſucceſſiui ſuprà aſſignatas.

8. *Quomodo Termini ſunt Specie diſtincti?* Quando ad diuerſas ſpecies eiuſdem generis fit motus V. G. ad duas quantitates, vel qualitates ſpecie diſtinctas.

9. *Vn-*

9. *Vndenam ſumitur vnitas generica, & ſpecifica motus?* Ex vnitate generica, vel ſpecifica termini ad quem fit motus: ita, vt ſi fiat ad eandem Categoriam erit vnus genere, ſi ad eandem ſpeciem talis Categoriæ, V. G. ad calorem, erit vnus Specie, intellige de vnitate imperfecta, & incompleta, quia motus eſt Ens incompletum.

10. *Vnde ſumitur vnitas numerica motus?* Ex tribus; ſcilicet ex vnitate numerica mobilis; quia omnia accidentia indiuiduantur à ſubiecto, in quo ſunt: ex vnitate numerica termini ad quem; quia vnus motus non poteſt eſſe niſi ad vnum terminum, propter ſui limitationem: Et ex continuitate talis motus; nam ſi ſit aliqua interruptio, non erit idem motus numero; quia eſt de ratione continuorum, (cuiuſmodi eſt motus,) vt partes ſint vnitæ aliquo indiuiſibili: ergo quando ſeparantur, non eſt amplius idem continuum.

11. *Vnde ſumitur Contrarietas motus?* Ex contrarietate terminorum ad quos: quia diſtinctio ſpecifica ſumitur ex terminis ad quos, ergo, & oppoſitio, & contrarietas. Sic motus ſurſum, & deorſum ſunt contrarij.

12. *Poteſtne idem corpus, ſecundùm idem moueri motibus contrarijs?* per ſe non poteſt, quia, cùm motus ſit ad acquiſitionem termini, poſſent acquiri per ſe termini contrarij, & oppoſiti V. G. calor, & frigus, quod eſt impoſſibile. At ſecundùm diuerſas partes

moueri

moueri poteſt V. G. poteſt manus frigeſieri, & pes calefieri: vel etiam ſecundùm ſe totum, ſi vno motu moueatur per ſe, & altero per accidens, vt qui retro ambulat in naui currenti, proprio motu mouetur ad Orientem, & motu nauis ad Occidentem.

13. *Quid eſt moueri per accidens?* Eſt moueri ad motum alterius, non motu proprio, vt qui naui, vel curru defertur.

14. *Poteſtne fieri motus, non tranſeundo per medium?* Non, quia continuitas motus dependet ex continuitate ſpatij, in quo fit, diſcontinuatur autem ſpatium, ſi non tranſeatur per medium.

15. *Poteſtne fieri motus in inſtanti?* Non, quia inſtans eſſet diuiſibile: poteſt enim eſſe motus vnus velocior altero, velocior autem idem ſpatium in minori duratione percurrit; ſi igitur motus tardior fieret in inſtanti, motus velocior in minori duratione fieret, & ita inſtans eſſet diuiſibile; quia minor duratio neceſſario eſt pars maioris: motus ergo non poteſt fieri in inſtanti, ſed in tempore, quod eſt diuiſibile. Simili ratione probatur mobile neceſſario eſſe diuiſibile, quia dum mobile mouetur, vel eſt in termino (à quo,) vel in termino (ad quem,) vel partim in vno, & partim in altero: non poteſt dici primum, aut ſecundum; Ergo tertium, ſicque mobile habebit partes, & conſequenter diuiſibile. Si eſt diuiſibile, eſt continuum, ſi continuum, eſt corpus: ergo etiam probatur Mobile eſſe corpus.

LIBER

LIBER SEXTVS PHYSICORVM

De Compoſitione Continui, & Indiuiſibilibus.

1. QVænam vocantur Continua? CONTINVA ſunt, quorũ extrema ſunt vnum: vt medietates vnius lapidis vniuntur in aliquo vno, quod eſt extremum vtriuſque. CONTIGVA ſunt, quorum extrema ſunt ſimul: vt cum lapis lapidi ſuperponitur. CONSEQVENTER illa ſe habent, inter quę nihil eſt mediũ eiuſdẽ generis; vt duę arbores ſe conſequũtur, quãdo nulla alia media eſt. Extremũ dicitur illud indiuiſibile, quod eſt, vel initiũ, vel terminũs alicuius quanti.

2. *Componiturne Continuum ex ſolis indiuiſibilibus?* Ita eſſe cẽſuerunt Zeno, Pythagoras, Democritus, & quidam alij Philoſophi; quorum errorem reijcit Ariſtoteles: quia continuum habet extenſionem, cùm ſit quantum: atqui nullam haberet extẽſionem, ſi ex ſolis indiuiſibilibus conſtaret: Ergo non conſtat ex illis: Indiuiſibile namque, nullam habet extenſionem, ergo alteri iunctum non facit maius, licet faciat plus; ſicut nihilum additum nihilo non poteſt facere aliquid. Præterea punctum non poteſt continuari puncto, quia

quia continuari eſt ſecundùm extremitatem alteri vniri;atqui punctum non habet extremitatem,quæ ſupponit extenſionem : ergo. Componitur igitur ex partibus quantitatiuis, & diuiſibilibus, vnde ait Ariſtoteles, Continuum diuiditur in ſemper diuiſibilia, id eſt in partes in infinitum diuiſibiles.

3. *Quas partes habet continuum?* Aliæ vocantur aliquotæ, ſeu determinatæ, quarum quælibet addit aliquid diuiſibile ad aliam: aliæ vocantur proportionales,& indeterminatæ, quæ computantur tantùm ſecundum proportionem vnius ad aliam,& non habent certam,& determinatam magnitudinem,ſed vna intra aliam continetur, ſicque pars proportionalis eſt medietas, & medietatis medietas, in infinitum diuidendo continuum. Cum enim continuum ſit in infinitum diuiſibile,ſaltem debet diuidi in duas medietates, & vna quæque medietas in duas &c.

4. *Partes illæ ſuntne finitæ?* Partes aliquotæ ſunt actu finitæ, quia aliquoties repetitæ exhauriunt totum continuum; & cùm illud ſit actu finitum, neceſſe eſt numerum illarũ partium eſſe quoque finitum, ſicut numerus vlnarum panni finiti debet eſſe finitus: partes verò proportionales ſunt actu infinitæ; quia continuum eſt diuiſibile in medietates minores, & minores in infinitum; ergo illæ partes debent eſſe infinitæ,nam aliàs aliquãdo deueniretur ad vltimam diuiſionem.

5. *Sequiturne inde dari infinitum actu?* Nequaquam, quia partes proportionales, aliæ

in

in alijs includuntur, & ideo quantumuis multiplicentur, non faciunt maius continuum, nec conſequenter infinitum numerum partium inter ſe diſtinctarum.

6. *Quomodo igitur dicuntur infinitæ?* Diuiſiuè, non collectiuè, ſecundum quid, nõ ſimpliciter: nam ſi collectiuè ſumantur, sũt actu finitæ, in potentia infinitæ; id eſt facta quacumque diuiſione ſemper partes ſunt finitę, quarum tamen poteſt fieri alia, & alia diuiſio in infinitum. Sed aduertendum eſt diuiſionem continui in infinitum intelligi tantùm debere de continuo quantitatiuo, id eſt ratione ſolius quantitatis conſiderato, non de continuo, ſeu compoſito naturali, quod reuera habet terminum paruitatis, vltra quem non poteſt naturaliter fieri diuiſio.

7. *Partes Continui ſuntne actu partes, an in potentia tantùm?* Sunt actu, quia vna pars realiter, & actu eſt diſtincta ab altera: nam eſt de ratione quantitatis ponere partem extra partẽ, atqui continuum habet actu quantitatem, ergo actu vna pars eſt extra aliam, quod eſt habere actu rationem partis, & non in potentia tantùm. Deinde ſi in cõtinuo eſſent partes in potentia tantùm, nunquam eſſent partes actu, quia diuiſione facta, fiunt tota: ergo neque ante diuiſionem, neque poſt, eſſent actu partes Totum componẽtes. Tertiò partes continui copulantur actu termino communi, nempe illo indiuiſibili, quod de facto eſt in continuo, vt patet ex definitione quantitatis continuę aſſignata in Categorijs,

*num.*37. Ergo etiam debet eſſe actu pars, quæ per illud copulatur. Quartò, quia omne compoſitum conſtare debet diſtinctis in illo genere, in quo eſt compoſitum: atqui continuum eſt compoſitũ in genere integrali; ergo habet partes integrales actualiter diſtinctas: Ergo habent actualiter rationem partis; quamquam non exiſtant per diſtinctas exiſtentias, ſed per vnicam totius exiſtentiam.

8. *Danturne in continuo vera, & poſitiua Indiuiſibilia?* Etiam, quia in continuo dantur extremitates reales, in quibus realiter contigua corpora ſe tangunt, non enim ſe tangunt in ſola carentia extenſionis, quæ nihil eſt; atqui extremitates illę ſunt indiuiſibiles: de ratione enim extremi eſt, quod ſit indiuiſibile, quia terminus eſt: & præterea quando corpora ſe tangerent, ſe quoq; penetrarent, quia intra diuiſibilitatem extremi ſe ſe intromitterent, quod eſt impoſſibile: Ergo dantur in continuo vera, & poſitiua indiuiſibilia. Deinde partes, eiuſdem continui ſe penetrarent, nec vna eſſet extra aliam, ſi vna alteri non vniretur ſecundùm aliquid indiuiſibile. Ergo.

9. *Quodnam eſt officium iſtorum indiuiſibilium?* Impedire partium penetrationem in continuo, & corporum contiguorum penetrationem: ſicque partes continui, eorum beneficio ſunt extenſa, & corpora contigua iuxta ſe tantùm poſita ſunt, non intra. Sunt ergo continuatiua, & terminatiua: punctum continuat, & terminat lineam, linea ſuperficiem,

ſiciem, ſuperficies corpus, inſtans tempus, & mutatum eſſe motum.

APPENDIX PRIMA.

De terminis Magnitudinis, & paruitatis rerum Naturalium.

10. QVid eſt Terminus, tum magnitudinis, tum paruitatis? Eſt indiuiſibile, quo res aliqua finitur; id eſt, vltra quod nihil rei eſt accipere.

11. *Quotuplex eſt?* Duplex, externus, & internus: externus, ſub quo res non eſt, ſed immediatè ſub alio; internus ſub quo de facto res eſt. Et vterque poteſt eſſe, tùm magnitudinis, tùm paruitatis. Terminus extrinſecus magnitudinis vocatur *Minimum quod non*, ſub quo res eſſe non poteſt, ſub minori poteſt. Terminus intrinſecus magnitudinis vocatur *Maximum quod ſic*, ſub quo res de facto eſt ſub maiori non poteſt. Terminus extrinſecus, paruitatis dicitur *Maximum quod non*, ſub quo res eſſe non poteſt, ſed ſub maiori tantùm. Denique terminus intrinſecus paruitatis appellatur *Minimum quod ſic*, ſub quo res eſſe poteſt, ſub minori non poteſt. V.G. ſuppoſito quod homo non poſſit eſſe minor, quam duorum palmorum, nec maior, quam decem, extremitas quantitatis bipalmatis erit terminus intrinſecus paruitatis hominis, quia eſt minima quantitas, ſub qua poteſt eſſe; & extremitas quantitatis decem palmorum, erit terminus intrin-

intrinſecus magnitudinis, quia eſt maxima quantitas, ſub qua poteſt eſſe. Et conſequenter extremitas quantitatis infra bipalmarē, erit terminus extrinſecus paruitatis, quia eſt maxima quantitas, ſub qua homo eſſe non poteſt; & extremitas quantitatis ſupra decem palmorum, eſt terminus extrinſecus magnitudinis, quia eſt minima quantitas, ſub qua homo nequit eſſe.

12. *Res naturales habentne terminum magnitudinis, & paruitatis intrinſecum?* habent via generationis, & conſeruationis naturalis, ita vt illum excedere non poſſint: quia ad formam determinatam, ſequuntur accidentia determinata; atqui in generatióne acquiritur forma determinata; ergo, & accidentia determinata, inter quæ eſt quantitas. Et ſic non poteſt generari ignis V.G. qui ſit maior concauo Lunæ: Ergo ſub qualibet quantitate res naturales generari non poſſunt, nec etiam conſeruari, quia vnaquæque res conſeruatur in ſuo loco naturali, qui eſt determinatæ quantitatis. Quæ ratio magis vrget pro viuentibus, in quibus reperiuntur organa tali modo diſpoſita, ergo neceſſariò determinatam exigunt quantitatem.

13. *Habentne terminum via augmentationis, & diminutionis?* Non viuentia poſſunt in infinitum augeri, id eſt non implicat augmentum eorum in infinitum, eo quod fit tantùm per iuxta poſitionem, V.G. aquæ ad aquam, ergo non habent terminum magnitudinis internum, ſed externum; quia actu

qui-

quidem finita ſunt, ſed maiora in infinitum fieri poſſunt. Quod dici nequit de viuentibus, quia augentur per alimenti ſumptionem, & virtutem nutritiuam, quæ cùm finita ſit ad certum quoque terminũ magnitudinis perducit, vltra quem non poteſt. At tam viuentia, quam non viuentia habẽt terminum intrinſecum paruitatis, ſeu *Minimum quod ſic*, via decretionis, quia non poteſt forma naturaliter manere in materia, in qua non poteſt exercere ſuas operationes, ergo ad illam quantitatem, tam paruam peruenire nequit; igitur manet ſub alia paulò maiori, quæ eius terminus paruitatis internus appellatur.

14. *Quid ſi diuidatur illa minima materia?* Poteſt quidem diuidi, ſi ſit aliqua alia forma naturalis, quæ poſſit conſiſtere ſub minori materia, ne remaneat materia ſine forma: quòd ſi nulla ſuppetat, tunc illa materia Phyſicè erit indiuiſibilis, quamquam Mathematice, & quantitatiuè ſit diuiſibilis; vel miſcebitur cum alia.

APPENDIX SECVNDA.

De Inceptione, & Deſitione rerum naturalium.

15. QVid eſt inceptio, & deſitio rerum? Eſt earum terminus durationis: ſicque, quod vocatur in rebus permanẽtibus terminus magnitudinis, & paruitatis, in labentibus vocatur inceptio, & deſitio: Quia verò inſtans eſt Indiuiſibile rerũ labentium; ideo in-

inceptio, & deſitio fit in inſtanti.

16. *Quotuplex eſt inceptio, & deſitio?* Duplex, interna, & externa: interna fit per inſtans internum, ſub quo res dicitur eſſe: externa verò per inſtãs externum, ſub quo res nõ eſt. Inceptio interna vocatur *Primum ſui eſſe*, & eſt illud inſtans, in quo verum eſt dicere, nunc res eſt, & immediatè antea non erat. Deſitio interna appellatur *vltimum ſui eſſe*, in quo verum eſt dicere, nunc res eſt, & immediatè poſt non erit. Inceptio externa, vocatur *vltimum ſui non eſſe*, in quo verum eſt dicere, nunc res nõ eſt, & immediatè poſt erit. Tandem deſitio externa dicitur *primum ſui non eſſe*, in quo verum eſt, dicere, nunc res non eſt, & immediatè antea erat.

17. *Quomodo incipiunt res permanentes?* Per primum ſui eſſe, ſeu intrinſecè, quia fiunt per generationem ſubſtantialem, generatio autem fit in inſtanti, in quo verum eſt dicere, nunc res eſt, & immediatè anteà non erat: Ergo.

18. *Quomodo deſinunt?* Per primum ſui non eſſe, ſeu extrinſecè, quia deſinunt per corruptionem, quæ fit in eodem inſtanti, in quo alterius fit generatio: nam iuxtà vulgare axioma, generatio vnius eſt corruptio alterius: atqui in illo ipſo inſtanti verum eſt dicere, nunc res non eſt, & immediatè antea erat: Ergo.

19. *Quomodo incipiant, & deſinunt res labentes?* Per inſtantia extrinſeca; quia cùm incipiant, & deſinant per motum, non poſſunt

eſſe, niſi quando motus eſt: atqui motus non eſt in inſtanti, ſed in tempore tantùm, eo quòd motus habet partes, & diuiſibilis eſt, inſtans verò indiuiſibile: Ergo inſtans inceptionis, & deſitionis rerum labentium nō poteſt eſſe intrinſecum, in quo ſit verum dicere, nunc res ſunt; igitur extrinſecum; incipiunt ergo per vltimum ſui non eſſe, & deſinunt per primum ſui non eſſe. V. G. quando hora incipit, verum eſt dicere, nunc hora non eſt, & immediatè poſt erit; & quando deſinit, verum eſt dicere, nunc hora non eſt, & immediatè antea erat, id eſt fluebat.

20. *Quomodo incipiunt, & deſinunt Indiuiſibilia rerum labentium?* Intrinſecè, quia tantum durant per inſtans, inſtans autem verè dicitur nunc eſſe, & immediatè antea non fuiſſe, vel poſtea non, eo quod non poſſunt dari duo inſtantia immediatè, ſed mediat ſemper pars temporis; aliàs continuum componeretur ſolis indiuiſibilibus; quod ſupra reiectum eſt. Ergo; Indiuiſibilia verò rerum permanentium, incipiunt, & deſinunt ſicut, & ipſæ res.

21. *Quomodo incipit, deſinit quies, tàm negatiua, quàm priuatiua?* Quies negatiua incipit, & deſinit ſicut inſtans, quia ſolùm datur in inſtanti, in quo eſt incapacitas motus, cùm motus ſit tantùm in tempore. At quies priuatiua incipit, & deſinit ſicut, & motus, quia quies iſta non poteſt incipere, & deſinere, niſi cum poteſt eſſe motus, cum ſit priuatio eius, ergo eodem modo incipit, & deſinit

deſinit nempè extrinſecè, & in tempore.

22. *Quomodo ſe habet mobile in inſtanti, quod mediat inter tempus quietis, & tempus motus, vel è conuerſo?* Dicitur quieſcere quiete negatiua.

23. *Quid vocas res permanentes, & Labentes?* Permanentes ſunt, quæ poſſunt totæ ſimul exiſtere, vt homo, lapis. Labentes verò, ſeu fluentes, quarum plures partes non poſſunt ſimul exiſtere, ſed neceſſariò vna ſuccedit alteri, vt partes temporis ſimul eſſe nequeunt, nempe præteritum & futurum.

Finis Libri Sexti Phyſicorum.

LIBER SEPTIMVS PHYSICORVM

De Requiſitis ad mouendum.

1. *QVot ſunt Conditiones requiſitæ in cauſa efficiente ad mouendum?* Tres, ſcilicet exiſtentia mouentis, diſtinctio rei motæ à mouente, & approximatio mouentis ad mobile.

2. *Quare requiritur prima conditio?* Quia mouere eſt eſſe in actu, eſſe in actu eſt exiſtere: ergo neceſſariò requiritur, vt mouens cùm actu mouet, exiſtat.

3. *Quare requiritur ſecunda?* Quia OMNE, QVOD MOVETVR AB ALIO MOVETVR, nec poteſt quidpiam mouere ſeipſum propriè,& ſimpliciter;quia nihil poteſt eſſe ſimul in actu,& in potentia reſpectu eiuſdem,atqui mouens,dum mouet eſt in actu,& mobile dum mouetur eſt in potentia: Ergo nihil poteſt eſſe ſimul mouens, & mobile; quidquid ergo mouetur,ab alio à ſe diſtincto mouetur. Deinde mouens,in quãtum mouẽs eſt immobile, quia omnis motus proficiſcitur ab aliquo immobili, ſed non poteſt idem reſpectu eiuſdem eſſe mobile, & immobile; Ergo. Tertiò omne,quod mouetur,

vel

vel mouetur violenter, vel naturaliter: ſi violenter, ergo ab altero, ſcilicet ab impellente: ſi naturaliter, vel eſt animatum, vel non: animatum mouetur ab altero nempe ab anima: inanimatum etiam mouetur ab altero ſcilicet à ſuis partibus: ergo omne, quod mouetur ab altero mouetur.

4. *Quomodo viuentia dicuntur mouere ſeipſa?* Per hoc, quod habent intra ſe principium motus actiuum, ſcilicet Animam; & deinde in quantum vna pars mouet aliam; vt cor mouet cæteras partes corporis tranſmittendo ſpiritus vitales; & ob id animal tandiu eſt viuens, quandiu cernitur ille motus. Vnde dicitur omne illud, quod ſe mouet, habere partes, quarum vna mouet aliam; ſeu componi ex motore, & moto. Deinde, quod ſe mouet quieſcit, quando vult, niſi ſit impedimentum; & hoc competit ſolis animalibus, in quibus eſt imaginatio.

5. *Si vna pars mouet aliam, à quo tandem prima mouebitur?* A generante, quia generans impreſſit illi virtutem motiuam, & motum in actuali generatione.

6. *A quonam mouentur grauia, & leuia, quando feruntur ad centrum ſuum?* A generante quoque mouentur; quia, qui dat eſſe, dat, & conſequentia ad eſſe, atqui inclinatio ad locum proprium eſt quid conſequens eſſe rerum grauium, & leuium, ergo illa debet eſſe a generãte, vt quandocumque erunt extra centrum, motu locali in illud ferantur. Igitur, quãdo mouentur, à generãte mouentur

LIBER OCTAVVS PHYSICORVM

De Æternitate Motus, & primo Motore.

1. QVid circa Æternitatem motus cenſuerunt Antiqui Naturales? Democritus motum poſuit ab ęterno, quia opinabatur Mundum fabricatum ex atomis, quæ, inquiebat, ſunt in perpetuo motu, & ex quarũ concurſu infiniti facti ſunt Mundi ſucceſſiuè, & deinde deſtructi, ex diſſolutione atomorum. Anaxagoras, & Empedocles nõ poſuerunt motum ęternum, quia opinabantur tẽpore infinito res omnes fuiſſe confuſas, & veluti ſimul vnitas propter amicitiam, ſed accędẽte lite fuiſſe ab inuicem ſegregatas, & tunc incepiſſe motũ, nam per amicitiã quieſcebant; ergo per litem inceperunt moueri, & ſic motus nõ fuit æternus. Ariſtoteles arbitratus eſt motũ fuiſſe æternum, quia cum primus motor ſit æternus, & non ſit impeditus, ſemper motum cauſauit. Commentator idem ſenſit, negãs poſſe aliquid creari, ſeu ex nihilo fieri, quod non contingit, inquit, ex impotẽtia primi mouentis, ſed ex ipſa natura motus, quę ſupponit ſuum mobile, in quo recipi debet motus; ergo omnis motus ſeu

muta-

mutatio ſupponit aliquid, ſicque ex nihilo nihil fit. Et cùm illud mobile ſit factum per aliquem aliũ motum, neceſſe eſt ante quemlibet motũ eſſe alium motum, & ita ſemper fuit motus. Sed facilè reſpondetur, id quod fit mutatione Phyſica ſupponere aliquid,ſed non eſſe neceſſe,vt omnia fiant tali mutatione, ideò poteſt aliquid creari. Contra Democritum pugnat ratio ſupra poſita *5. Phyſ. n.15.* indiuiſibilia non moueri per ſe. Anaxagoras verò, & Anaximãder poeticè, & figuratiuè locuti ſunt. Quantum ad Ariſtotelem ſatis colligitur ex eius verbis, problematicè tantùm eum aſſeruiſſe motum eſſe æternũ; quia ſoluit tantùm rationes aliorum, non verò intendit demonſtrare propriam opinionem. Sed potiùs intendit ex æternite motus omnino conuincere, dari primum Motorem immobilem, & primum Principium rerum, ſic: vel motus eſt æternus, vel non: ſi non eſt æternus, ergo neceſſe eſt dari aliquod principium, à quo habeat nouitatem: ſolùm ergo poſſet negari primũ principium, ſi res ſunt ab æterno; atqui etiamſi ſint ab æterno, neceſſe eſt pónere primum Motorem: ergo abſolutè neceſſe eſt dari primum principium, & primum Motorem. Ob hancque rationem, poſuit æternitatem motus; vt explicat *D. Th.8. Phyſ. Lect.1.*

2. *Quid ſecundùm rei veritatem?* Motus ab ęterno non fuit. Quia ſecundùm fidem Catholicam Mundus ab æterno non fuit, ſed creatus eſt in tempora, vt dicitur *Gen. 1. in*

principio creauit Deus Cœlum, *&* *Terram*: ergo nec motus.

3. *Quid ex motu demonſtrat de Deo Philoſophus?* Demonſtrat dari primum mouens immobile ſic: patet aliqua moueri, ſed nihil à ſeipſo mouetur primò, & per ſe vt *ſuperiori lib. num.* 3. dictum eſt; ergo ab alio: atqui in cauſis per ſe mouentibus non datur proceſſus in infinitum, ergo ſiſtendum eſt in aliquo primo, quod à nemine moueatur, & conſequenter ſit immobile.

4. *Quomodo probatur non dari proceſſum in infinitum in cauſis per ſe mouentibus?* Quia ſublato primo, tollitur ſecundum mouens, quod non mouet niſi in virtute primi, vt baculus nõ mouet niſi moueatur à manu, atqui ſublato ſecundo mouẽte, tollitur omnis motus, quod eſt omnino abſurdum; neceſſe eſt igitur eſſe primum mouens, vltra quod non amplius proceditur. Ergo nõ datur proceſſus in infinitũ. PRIMVM MOVENS vocat Philoſ. quod mouet non motum ab alio, Secundum Mouens, quod mouet motum ab alio; quia omne, quod mouet, vel mouet propria virtute, vel virtute alterius; ſi propria virtute, non accepta ab alio, eſt primum mouens, vltra quod non eſt neceſſe procedere; ſi virtute ab alio accepta, eſt ſecundum mouens, quod eſſentialiter differt à primo, quia primum eſt independens, ſecũdùm verò dependens: ſic ergo formatur ratio. Impoſſibile eſt omnia mouentia eſſe dependentia, quia omne, quod dependet, ab alio dependet;

det; ſi igitur omnia mouentia eſſent dependentia, daretur aliquid, à quo dependerent in ratione mouentis, & ſic ſemper daretur aliquod mouens præter omnia mouentia depẽdentia: ergo neceſſe eſt dari aliquod mouens independens, ſeu (vt ait Phil.) immobile: atqui illud eſt primum: ergo datur primum Mouens immobile; ſed non eſt neceſſe vltra primum progredi, ergo non datur proceſſus in infinitum in cauſis per ſe mouentibus. Ex quo manifeſtè ſequitur in quocunque motu inueniri tãtum triplicem ordinem, ſeu gradum, *primum*, *medium*, *& vltimum*. In primo reperitur *Mouens immotum ab alio*; in ſecundo, *Mouens, motum ab alio*, in tertio, *Motum non mouens aliud:* & illud eſt effectus primi, & ſecundi mouentis. Hic ordo eſt eſſentialis, ſeu per ſe, quia quod mouetur, neceſſariò dependet à mouente immediato, & illud mouens, ſi moueat motum ab alio, neceſſario dependet à mouente immoto, quod eſt primum mouens, ſicut lapis mouetur à baculo, & baculus ab homine, qui eſt primum mouens. Quamuis igitur ſecunda mouentia in infinitum multiplicarentur per accidens, ſicut, ſi homo moueret vnum baculum, ille baculus alterum in infinitum: nihilominus illi omnes baculi eſſent tantùm vnum per ſe Mouens, nempe ſecundi ordinis, ſupponens primum; quia eſſent omnes mouentes moti ab alio. Et hoc valdè notandum eſt contra Atheos, qui eludere conantur hanc demonſtrationem Philoſophi de primo mouente

abſolutè, quod eſt *Deus*, dicentes homines V. G. alijs eſſe productos in infinitum, nec vllum eſſe, ens à quo primò producti ſint; Nam res omnes naturales ſunt mouentia mota ab alio, ſicq; ſupponunt primum mouens. DATVR ERGO PRIMVM MOVENS IMMOBILE.

5. *Quid exinde de Deo demonſtrari poteſt?* Deum eſſe Actum purum, Immaterialem, Infinitum, Intelligentem, Immenſum Æternum, & vnum. *Eſt Actus purus*, quia caret omni potentialitate, quod enim eſt in potẽtia ad aliquid, debet reduci ad actum per aliquid, quod eſt actu; hoc autem eſt moueri ab alio: atqui primum Mouens à nemine poteſt moueri, cùm ſit immobile, ergo non poteſt eſſe in potentia ad aliquid: imo cùm ſit primum mouens debet omnia reducere de potentia ad actum, ſicque eſſe maximè in actu. *Eſt Immaterialis*, quia materia dicit potentialitatem, ſed actus purus nullam dicit potentialitatem, ergo. *Eſt Infinitus*, quia actus purus dicit perfectionem ſine imperfectione, & cõſequenter infinitam, tum in eſſentia, tùm in virtute. *Eſt intelligens*, quia quod habet infinitam perfectionem, habet perfectiſſimam operationem, ſed operari per intellectum eſt operatio perfectiſſima: Ergo. *Eſt vbique præſens*, quia, quod debet omnia mouere, debet eſſe vbique, ſed primum mouens debet omnia mouere: Ergo. *Eſt Æternus* quia, quod eſt immobile, & immutabile, eſt æternum, ſed primum Mouens eſt immutabile:

bile:

bile: Ergo. Tandem *Vnus eſt Deus*, quia in quocunque ordine primum, vnum eſt, ſed primum Mouens abſolutè, & in toto ordine rerum eſt primum, ergo eſt vnum; CVI LAVS, ET HONOR IN SÆCVLA.

Hæc ſunt, de quibus agit Ariſt. octo libris, quos de Phyſica auſculatione inſcripſit, quia ab auditoribus maiori ſtudio, & attentione auſcultari, & à præceptoribus accuratiùs enarrari poſtulant. Cùm igitur ens mobile in communi ſit obiectum horum librorum, primò incipit tradere principia, ex quibus fit, & conſtat Ens mobile: Secundò radicem, & cauſam motus inueſtigat, nempe naturam, ideò de natura, & cauſis agit. Tertiò ipſum actum Entis mobilis, nempe motum explicat, & conſequentur de Loco, & Tempore agit, in quibus natus eſt fieri motus. Poſtea de vnitate, contrarietate, & ſpeciebus eius in communi; nec non de partibus, ex quibus componitur Mobile: Tandem de conditionibus mouentis, & primo Motore, à quo procedit Motus. SED *ad perfectam, & integram cognitionem dependentiæ, quam habent in cauſando cauſæ ſecundæ à prima, ſeu ſecunda mouentia à primo Motore, neceſſarium fuit ſequentem appendicem de* PRÆMOTIONE PHYSICA *tantoperè his temporibus, ſed vanè inpugnata, ſubiungere.*

APPEN-

APPENDIX.

DE SVBORDINATIONE Cauſarum ſecundarum ad primam, ſeu de Prædeterminatione Phyſica.

1. IN *quonam conſiſtit ſubordinatio cauſarum ſecundarum ad primam?* In eſſentiali dependentia cauſæ ſecundæ à Deo, non ſolum in eſſendo, ſed etiam in cauſando; nam ſicut ſunt entia per participationem primi entis, ita ſunt cauſæ per participationem primæ cauſæ.

2. *Solus Deus debetne dici cauſa eorum, quæ ſunt?* Nequaquam; ſed inſuper creatura vera cauſa eſt: & in hoc apparet diuina omnipotentia, quòd non ſolum creaturæ Eſſæ tribuit, ſed, & virtutem alijs Eſſe tribuendi, verèque cauſandi contulit.

3. *Sola creatura agitne, id eſt ſine concurſu Dei?* Non, quia effectus omnis dependet à Deo, cùm ſit aliquid creatum, & ens per participationem: Ergo non ſolum effectus quicunque dependere debet à creatura, ſed etiam à Deo; Ideò *Iſa.* 26. dicitur, *omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine*. Ergo Deus concurrit cum cauſa ſecunda ad agendum.

4. *Concurritne immediatè Deus cum cauſâ ſecunda?* Etiam, quia ens creatum immedia-

tè eſt ens per participationem: ergo immediatè à Deo dependet, qui eſt ens per eſſentiam. Deinde Deus intimè præſens adeſt omnibus, quia agens debet eſſe coniunctum cum eo, in quod agit; Deus autem eſt primum mouens ergo eſt intimè præſens omnibus, & immediatè omnia mouet. Tandem cauſæ eſſentialiter ſubordinatæ totum effectum, & immediatè producunt, eo quod ſunt diuerſi ordinis, & ſuperior includit inferiorem: ergo Deus immediatè concurrit cum cauſa ſecunda; ſicut, & ipſa cauſa ſecunda cum Deo in ſuo ordine: quia illud dicitur immediatum alteri, inter quod nihil eſt eiuſdem ordinis.

5. *Quomodo vocatur iſte concurſus Dei cum cauſa ſecunda?* Vocatur ſimultaneus, & concomitans: qui nihil eſt aliud, quàm ipſamet actio cauſæ ſecundæ, quæ prout eſt à Deo, concurſus Dei nominatur; prout eſt à cauſa ſecunda, dicitur concurſus cauſæ ſecundæ. Quamquam autem identificetur concurſus iſte Dei cum actione creaturæ, non propterea illi adæquatur, ſicut ens identificatur cum vero, ſed non adæquatur, quia etiam identificatur cum bono.

6. *Daturne alius concurſus diuinus præter hunc ſimultaneũ, quo Deus prædeterminet cauſas ſecundas omnes ad agendum?* Ita eſt in ſententia Ariſtotelis, & D. Thomæ, omniumq; Thomiſtarum. Nam ait Ariſt. 8. *phyſ. vtrumque mouens, primum, & vltimũ mouere dicitur, ſed magis primum, quia ſine primo vltimum non mouebit,*

mouebit, vt baculus, niſi ab homine moueatur. Ergo cenſet Ariſt. ſecundũ mouens moueri à primò. D. Thomas. *q. 3. de pot. a. 3. in c. Res aliqua poteſt dici cauſa actionis alterius multipliciter: Primò, in quantum ei tribuit virtutem operandi: Secundò, in quantum conſeruat illam virtutem: Tertiò in quantum rem illam mouet ad agendum*. Et 1. *p. q. 105. ar. 5. Deus eſt cauſa omnium actionũ creaturarum: Primò, in ratione finis; Secundò, in quantum dat, & cõſeruat virtutes agẽdi: Tertiò, in quantũ applicat virtutes earum ad agendum*. Vnde ſic arguitur: Prędeterminatio, quã aſſerunt Thomiſtę, nihil eſt aliud, quam motio, & applicatio creaturæ ad agendum: atqui ex Sentẽtia Ariſtotelis, & D. Thomæ, prima cauſa mouet, & applicat cauſas ſecundas ad agendum: Ergo verè datur huiuſmodi prædeterminatio à Thomiſtis aſſerta. Vel igitur eorum aduerſarij ignorant, quid per prædeterminationẽ intelligant Thomiſtæ, vel quid per motionem primi mouentis intelligat Ariſtoteles, aut tandem, quid per applicationem ad agendum velit D. Thomas; dum audent aſſerere Ariſtotelem, & D. Thomam nequidem verbum de Prædeterminatione dixiſſe.

7. *Nõne ſufficit concurſus ſimultaneus ad hoc, vt cauſa prima dicatur mouere, & applicare ſecundam ad agendum?* Non, *Primò*, quia concurſus ſimultaneus attingit tantùm effectũ productum, cùm ſit ipſa actio cauſæ, non verò attingit cauſam, Ergo ſi alius non eſſet, cauſa ſecũda maneret, immota, ſicut qui trahit

hit nauim cum altero; non mouet illum, ſed nauim. *Secundò*, quia concurſus ſimultaneus non conſtituit cauſam ſecundam motam, ſed mouentem, & producentem effectum. *Tertiò*, quia per concurſum ſimultaneum non conſtituitur eſſentialis dependentia cauſæ ſecũdæ à prima in cauſando; nam eſſentialis dependentia eſt, quod ſit mouens mota, non quod ſit mouens cum alia; atqui per concurſum ſimultaneum, eſt tantum mouens cum alia; vel ſi ſit aliqua dependentia, illa mutua eſt, & ita æquè prima dependebit à ſecunda, ac è conuersò, præcipuè quantùm ad actiones vitales, quas Deus à ſe ſolo nõ poteſt operari. *Quartò*, quia per iſtam motionem cauſę ſecundæ à prima, deuenit Ariſtoteles ad cognitionem primi motoris, vt *lib. 8. num. 3.* dictum eſt: atqui per concurſum ſimultaneum non poſſumus deuenire ad cognitionem primi motoris, quia in agentibus non eſſentialiter ſubordinatis, ideſt, quorum vnum non agit in alterum, ſed ſimul tantùm agunt, facile fit proceſſus in infinitum, poſſunt enim infiniti homines trahere nauim, ſi pondus in infinitum multiplicetur: Ergo concurſus ſimultaneus non eſt id, per quod intelligunt Ariſt. & D. Thomas cauſam ſecundam moueri à prima.

8. *Quare iſte conuerſus dicitur præuius, ſeu* PRÆMOTIO? quia motio, qua cauſa mouetur præcedit ſaltem natura, motionem, qua mouetur effectus, cauſa enim præcedit effectum: atqui motio cauſæ, eſt cauſa motio-

nis effectus: Ergo eſt præuia ad actionem, & effectum cauſæ ſecundæ.

9. *Quare dicitur Phyſicus?* Quia omnes cauſæ illo indigent: ergo licet hominibus aliquando detur prçuius moralis concurſus, illo tamen capaces non ſunt cæteræ cauſæ: Ergo debet dari alius. Deinde, quia etiam hominibus non ſufficit moralis præmotio, quæ fit per præuiam obiecti propoſitionem, perſuaſionem &c. Sed neceſſaria eſt alia per realem impreſſionem alicuius virtutis, qua realiter, & actualiter cauſa reddatur completa, & expedita ad agendum in actu ſecundo: ſi enim eodem modo realiter maneat, erit tantùm agens in potentia, non actu, ſicut antea erat tantùm agens in potentia. Ergo aliquid Phyſicum neceſſarium ei eſt, vt alio modo realiter ſe habeat, & actu agat.

10. *Nonne cauſa ſecunda per virtutem ſuam agendi, ſufficienter conſtituitur in actu primo, & per ſuam actionem in actu ſecundo?* Benè quidem, ſed non poteſt fieri tranſitus ab actu primo ad ſecundum, niſi ſit aliqua cauſa applicans illam virtutem ad agendum, & reducendo eam de actu non operante ad actu operantem; quia, quod eſt in potentia reducitur in actum per aliquid, quod eſt actu: atqui illa cauſa eſt Deus: Ergo.

11. *Quid eſt propriè illa Præmotio?* Eſt qualitas quædam incompleta, & vialis impreſſa cauſæ ſecundæ in ipſo inſtanti, quo agit, eo modo, quo impulſus imprimitur ſagittæ, vel baculo, dum mouetur; vel vt ait D. Th. *q.* 3.

de pot. Eſt veluti intentio habens eſſe aliquod incompletum, per modum, quo colores ſunt in aere, & virtus artis in inſtrumento artificis.

12. *Quænam ſunt præcipuè rationes, quibus probatur præmotio Phyſica?* Duæ ſunt: Prima petitur ex indeterminatione cauſæ ſecundæ, Altera, ex reductione cauſæ ſecundæ de potentia ad actum. *Prima* ſic poteſt formari: Prædeterminari nihil aliud eſt, quam determinari antequam fiat actio: atqui omnis cauſa ſecunda determinatur à Deo, antequam agat; eo quod de ſe eſt indeterminata, ſaltem quoad hunc numero effectum: Ergo &c. *Secunda* ratio ſic: Prædeterminari, & præmoueri eſt cauſam ſecundam reduci de potentia ad actum, ſed Deus reducit omnes cauſas de potentia ad actum: Ergo &c. Quod enim eſt maximè actu reducit omnia ad actum.

13. *Nonne cauſa ſecunda libera, vt homo ſe determinat ad agẽdum, ſeque reducit de potentia ad actum?* Se determinat quidem, cùm ſit Dominus ſuarum actionum per rationem, & voluntatem; ſeque reducit de potentia ad actum, cum habeat principium actiuum ſuæ actionis in ſe: tamen non ita ſe determinat, vt ſit prima cauſa ſuæ determinationis, aliàs ipſa determinatio cauſæ ſecundæ, eſſet independens à Deo, quod eſt abſurdum: Ergo ſe determinat ſub diuina determinatione, quæ eſt prima cauſa omnis determinationis creaturæ: ſimiliter inquit D. Th. 1. 2. *q*. 9. *ar*. 4. *c*. voluntas ſe reducit de potentia ad actum

per

per hoc, quod volendo finem, ſe mouet ad volendum ea, quæ ſunt ad finem ſed quod incipiat velle finem, non poteſt fieri niſi mediante conſilio, & aliqua alia voluntate præſuppoſita, & cum non ſit procedere in infinitum, neceſſe eſt, quod in primum motum procedat voluntas ex inſtinctu alicuius exterioris mouentis, vt Ariſt. concludit *in quodam capitulo Ethicæ eudimicæ*. Hęc ſunt clariſſima D. Thomæ verba, ex quibus ipſe concludit, quod licet voluntas liberè ſe determinet, & ſe moueat, tamen ab exteriori principio quoque mouetur. Idem repetit 1. 2. *q.* 109. *a.* 2. *ad* 1.

14. *Tolliturne Libertas per iſtam motionem, ſeu Prædeterminationem Phyſicam?* Nullomodo; quia Deus omnia mouet ſecundum modum ſuum, nempe res neceſſarias neceſſariò, & liberas liberè: eo quod tantæ eſt efficaciæ diuina actio, vt non ſolum attingat ſubſtantiam rei, ſed etiam modum eius. Quod rectè explicat D. Thomas 1. *p. q.* 103. *a.* 5. *ad* 2. vbi ait quod *Guebrnatio eſt quædam mutatio, gubernatorum à gubernante, quædam autem ſunt, quæ ſecundùm ſuam naturam ſunt per ſe agentia, tanquam habentia dominium ſui actus, & iſta gubernantur à Deo, non ſolum per hoc, quod mouentur ab ipſo* IN EIS INTERIVS OPERANTE, *ſed etiam per hoc, quod ab eo inducuntur ab bonum, & retrahuntur à malo, per præcepta, prohibitiones præmia, & pœnas*. Non igitur diuina motio interius operans tollit hominis libertatem: imo

imo eam perficit, & complet, quia ponit eam in vltima ſua actualitate,& in exercitio.

15. *Eſtne infallibilis diuina Præmotio?* Etiam, quia intentio Dei fruſtrari non poteſt, nec poteſt quicquam eſſe caſuale, & fortuitum reſpectu eius: & ſic præmouente Deo, non poteſt conſequi effectus *in ſenſu compoſito*, licet abſolutè poſſibile ſit oppoſitum, & in ſenſu diuiſo.

16. *Extenditurne ad peccatum creaturæ?* Extenditur ad id, quod eſt reale, & Phyſicum, ſeu materiale in peccato, ſed non ad id, quod eſt defectuoſum, & formale; quia ſic peccatum non eſt aliquod ens, ſed defefectus, & priuatio entis, nempe rectitudinis actionis.

17. *Quænam eſt differentia inter præmotionem cauſæ principalis, & præmotionem cauſæ inſtrumentariæ?* Quod præmotio, reſpectu cauſæ principalis habet tantùm rationem applicantis: reſpectu verò inſtrumenti, habet rationem applicantis ſimul, & eleuantis; quia cauſa inſtrumentaria non habet ſufficientem virtutem, ſicut cauſa principalis, ideò debet eleuari ſimul, & applicari per præmotionem. NOTA Præmotionem in ſupernaturalibus vocari Gratiam præuenientem, quam ſacræ paginæ, & Eccleſiæ orationes inuictiſſimè aſtruunt.

LIBER

LIBER PRIMVS.

DE CÆLO ET MVNDO.

1. Q*Vare octo libros Phyſicorum ſequuntur immediatè libri de Cælo, & Mundo?* Quia egit Philoſophus in illis libris de ente mobili (quod eſt obiectum Phyſicæ) in communi: in reliquis verò tractat in particulari, ſecũdùm triplicem motum, nempe lationis, alterationis, & augmentationis: & quia motus lationis, ſeu localis eſt primus, & notiſſimus prius debet agere de ijs, quibus cõuenit, nempè de Cęlo, & Mundo. In primo lib. agit de Mũdo in cõmuni, in alijs de Mundo in particulari ſc. de partibus principalibus eius; de Cælo in ſecundo; de Elementis in tertio, & in quarto de motu elementorũ.

2. *Quotupliciter dicitur?* MVNDVS? Dupliciter ſcilicet Mundus *Archetypus*, ſeu *exemplaris*, & Mundus *exemplatus*, primus eſt rerum vniuerſitas in mente diuina exiſtens: ſecundus ſunt ipſæ creaturæ in ſe ſubſiſtentes, conformiter ad diuinum exemplar. Deinde MVNDVS alius eſt paruus, ſcilicet ipſe homo, alius magnus nempe hoc Vniuerſum, de quo nunc loquimur.

3. *Quid eſt* MVNDVS? EST COMPA-

PAGES è Cælo Terraque coagmentata; atque ex his rebus, quæ horum ambitu continentur. Vel,eſt ordo pulcherrimaque diſpoſitio rerum omnium, quæ à Deo conſeruantur. Ita Ariſt. *l. de Mundo ad Alex.*

4. *Vnde dicitur Mundus?* A munditie ſecundùm Latinos, quia res naturales, ſecundùm ſe mundæ ſunt, & nitidæ: Græci verò vocant *Koſmon* i. ornatum, quia eſt quædam impreſſio, & expreſſio diuinæ pulchritudinis, quæ exterius in tot, tamque varijs rebus miro admodum ordine coniunctis, viſibilem præbere ſe voluit.

5. *A quo factus eſt?* Non à ſeipſo, quia nihil ſeipſum facit, ſed à Deo: quia neceſſe eſt omne Ens eſſe à Deo cauſatum, ſicut à fonte totius Eſſe; nam primum in vnoquoque genere eſt cauſa cæterorum; Deus eſt primum Ens: Ergo.

6. *Quomodo factus eſt mundus?* Per creationem,cuius eſt, ex nihilo res producere, vt dicitur *Gen.* I. *In principio creauit Deus &c.* Quia quantò Agens eſt fortius, tantò paucioribus indiget, ergo Agens infinitę virtutis nullo indiget, atqui Deus eſt huiuſmodi, ergo. Creatus autem eſt ex libera Dei voluntate, nõ ex neceſſitate Naturæ, quia nulla creatura neceſſariã habet cõnexionem cum Deo, qui ſolus ſibi abũdè ſufficit, vtpote perfectiſſimus: Deinde Agens naturale eſt determinatum ad vnum, Deus autem in creaturis condendis, non eſt determinatus ad vnum, cum alias, & alias, & in infinitum poſſit producere:

ducere: Tertiò, quia Deus non ſolum eſt cauſa efficiens Mundi, ſed etiam exemplaris, quæ intellectualis eſt, intellectus autem non exprimit exteriùs Ideam ſuam, niſi adiuncta voluntate: ergo quando voluit, Mundum creauit.

7. *Fuitne creatus in inſtanti?* Etiam, quantum ad Cælos, & Elementa; ſed poſt modùm ſpatio ſex dierum fuit ornatus. *Prima die* facta eſt lux; *in ſecunda*, diuiſum fuit Firmamentum ab alijs orbibus: *in tertia*, congregatæ ſunt aquæ in vnum locum, & productæ ſunt plantæ: *in quarta*, facta ſunt luminaria ſc. Sol, Luna, & Stellæ: *in quinta*, productæ ſunt aues, & piſces; *in ſexta*, denique procreata ſunt cætera animantia, & formatus eſt homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. *Die ſeptima* requieuit Deus, id eſt ceſſauit à creaturis condendis. Secundùm D. Aug. Omnia creata ſunt ſimul, & in eodem inſtanti; nec illos ſex dies fuiſſe veros, & ſucceſſiuos in condendis rebus, ſed deſignare ſolùm, totidem rerum conditarum impreſſiones in mentem angelicam; nihil enim exterius conditum eſt, quod menti angelicæ impreſſum non fuerit. Hæc Aug. opinio valde probabilis apparet: vtraque tamen habet fundamentum in ſcriptura.

8. *Qua anni tempeſtate incepit?* Probabilius aſſeritur verno tempore, in æquinoctio, tunc enim Sol eſt in perfecta Cæli parte; tunc reparatus eſt Mundus; tunc denique naturaliter incipit annus, cum incipiant omnia generari,

nerari, & veluti è tumulo hyemis reſurgere.

9. *Quo die?* Die Solis, quem dominicum appellamus, quia dies Sabbathi, qui Saturni dicitur, eſt ſeptimus, in ipſo enim quieuit Deus; ergo dies Solis debet eſſe primus.

10. *Qua hora?* Hora ſexta matutina, hac enim hora Sol oritur ſupra horiſontem, incipitque dominari die illa, quæ ab ipſo denominatur: probabiliſſimum enim eſt, Hæmiſphærium noſtrum nobilius eſſe altero, quia in ipſo natus eſt Chriſtus, in Iudæa ſcilicet, ergo debuit prius altero illuminari: ſed Oriens eſt pars perfectior, & nobilior, ergo debuit eſſe ſol in illa parte: atqui in Æquinoctio Sol oritur hora ſexta: Ergo illa hora debuit Mundus incipere. Planeta quiſque incipit dominari prima hora temporaria diei, quæ ab ipſo denominatur, & prima hæc hora eſt in ortu Solis: ergo cum incepit Mundus, Sol dominabatur oriendo, ſcilicet die Dominico.

11. *Potuitne eſſe Mundus ab ęterno?* Potuit quidem, cùm nulla ſit repugnantia, nec ex parte Dei creantis, nec ex parte Mundi, nec ex parte actionis, per quam fit: Ergo ex nullo capite poteſt repugnare Mundi æternitas. Non ex parte Dei, quia ęque eſt Deus omnipotens in æternitate, ac in tempore, quamuis enim non agat ex neceſſitate naturæ, tamen poteſt æquè voluntas eius ipſum determinare ad agendum, ac ſi ex naturæ neceſſitate ageret, atqui naturæ neceſſitas determinat agens ad agendum in quocunque inſtanti, in

L quo

quo res eſt, ſicut Sol ab æterno lumen produxiſſet, ſi ab æterno fuiſſet, & pes ab æterno in puluere, impreſſiſſet ab æterno veſtigium; Ergo ſimiliter potuit diuina voluntas ipſum determinare ad agendum in quacunque eius duratione, & ſic ab æterno. Non repugnat etiam ex parte Mundi, quia hæc æterna duratio eſſet nihilominus accidentalis Mundo, non eſſentialis, ſicut Deo: & ſicut poteſt habere æternitatem accidentariam à parte poſt, ita & à parte ante. Tandem ex parte actionis Dei non repugnant, quia creatio non eſt per motum, & ſucceſſionem, ſed ſubitò, & in inſtanti, & ſic poteſt eſſe ante omne tempus. Nec minus dependeret mundus à Deo in æternitate quàm in tempore, quia eſſet factus ex nihilo, ſeu ex non eſſe, ſicque Deus præcederet creaturam aliquo inſtanti naturæ, non aliqua duratione reali: Ergo nullomodo repugnat Mundum potuiſſe eſſe ab æterno.

12. *Potuitne eſſe ab æterno quantùm ad omnia?* Nequaquam, ſed ſolummodo quantùm ad res permanentes; quia de ratione Motus, rerumque ſucceſſiuarum eſt eſſe in tempore, quia cùm ſint diuiſibiles in exiſtendo (non enim poſſunt plures partes eſſe ſimul) neceſſario requirunt durationem diuiſibilem, ſed æternitas non eſt diuiſibilis, ſicut tempus, ſed in inſtanti; ergo res ſucceſſiuæ, non poſſunt eſſe in æternitate, ſed in tempore.

13. *Quare potius creatus eſt in tempore, quam*

in

in æternitate? Vt ſignificaretur Creatorem non indigere creatura, ſed potius creaturam in ſui productione eſſentialiter dependere à Creatore, ſicque nullus ſupereſſet dubitandi locus de eius productione voluntaria, & libera à Deo.

14. *A quo tempore eſt productus?* Hoc anno Chriſti 1667. computantur à conſtitutione Mundi ſecundum commuunem opinionem 5956. anni ſecundùm aliquos 6866. ſed veriùs 5747., vt infra.

Breuis Mundi Chronologia ex Scriptura.

	A Cōſtitutione Mūdi ad Natiuitatē Seth filij Adam fluxerūt anni	130
	Ad Nat. Enos filij Seth,	105
	Ad Nat. Cainam filij Enos,	90
	Ad Nat. Malaleel filij Cainam,	70
Gen.	Ad Nat. Iared filij Malaleel,	65
5. c.	Ad Nat. Henoch filij Iared,	162
	Ad Nat. Mathuſalā filij Henoch,	65
	Ad Nat. Lamech filij Mathuſalā,	187
	Ad Nat. Noe filij Lamech,	182
	Ad Nat. Sem filij Noe,	500
Gen. 7.	Ad Diluuium,	100
	Sūma annorū à conſtitutione Mundi	1656
Gen. 8.	Diluuium anno fere vno durauit	1

A Diluuio ad Nat. Arphazat filij Sē,	2
Ad Nat. Sale filij Arphazat,	35
Ad Nat. Heber filij Sale,	30

Gen. 11.	Ad Nat. Phaleg filij Heber,	34
	Ad Nat. Reu filij Phaleg,	30
	Ad Nat. Sarug filij Reu,	32
	Ad Nat. Nachor filij Sarug,	30
	Ad Nat. Thare filij Nachor,	29
	Ad Nat. Abraham filij Thare,	70

Gen. 21. 5. Ab Abrah. ad Nat. Iſaac filij eius, 100
Gen. 25. 26. Ad Nat. Iacob filij Iſaac, 60
Gen. 47. 28. Ad ingreſſum in Ægyptum, 130
Exod. 12. 40. Ab ingreſſu ad exitum ex Ægypto, 430.
3. *Reg.* 6. Ab exitu ex Ægypto ad tem. conditum, 480.
Summa annorum à Diluuio, 1493

A Templo autem condito vſque ad Natiuitatem Chriſti, non inuenitur præciſe numerus annorum in Scriptura ſacra, ſed ab authoribus computantur à templo condito ad eius deſtructionem in captiuitate Babylonica, anni 427
Captiuitas durauit annis 70
A reſtaurat. templi poſt cap. ad Chriſtum 434
Summa ann. à conſtit. Mundi ad Chriſtum 4080
Quibus ſi addantur 1667. erunt ſimul. 5747

15. *Quouſque debet durare?* Quantùm ad ſubſtantiam partium præcipuarum, debet Mundus in æternũ durare: quia cùm partes præcipuæ ſc. Cælum, & Elementa non poſſint deſinere, niſi per annihilationem, ſicut

factæ

factæ ſunt per ſolam creationem; non decet diuinam bonitatē res annihilare, ſed ſeruare conditas, vt ſint æternum diuinæ bonitatis, & omnipotentiæ, Angelis, & hominibus monimentum. Sed dicitur Mũdus tranſiturus, & finem habiturus, quantùm ad ſtatum, in quo nunc eſt, id eſt, quantùm ad illam Cælorum circumuolutionē, rerum generationem, ac mutationē: quia cùm tunc fuerit completus electorum numerus, nulla erit neceſſaria mixtorum productio, quæ ordinantur tantum ad vitæ hominis ſuſtentationem, nec cunſequenter cælorum motus; omnia enim ſunt propter electos, & ceſſante fine debent ceſſare ea, quæ ſunt ad finem. Purgabuntur verò elementa igne, cælumque, ac ſydera non ſplendore illuſtrabuntur, dicente ſcriptura, *erit Lux Lunæ, vt Lux Solis, & Lux Solis ſeptempliciter. Iſa.* 30. Quod continget in die iudicij, quæ quandonam futura ſit, nemo, niſi ſolus Deus nouit.

16. *Poteſtne Mundus in ęternum perſeuerare in eo ſtatu, in quo eſt, ſolo Dei cōcurſu ordinario?* Maximè quia cùm præcipuæ Mundi partes ſint naturaliter incorruptibiles, non poſſent ſecundùm ſubſtantiam perire, niſi ceſſante Dei ordinario concurſu, & cùm virtus mouēs Cęlos ſit infatigabilis, sēper moueret, & ex eius motu omnia ſucceſſiuè generarentur eo modo, quo fiunt nũc: Ergo Dei ordinario concurſu Mundus conſeruaretur in ęternũ. Quod maximũ huius rei ſignum eſt perpetua ſucceſſio indiuiduorum, & conſeruatio

ſpecierum à tot ſæculis elapſis, vt ſic in perpetuum idem, eodem modo perſeuerare valeret.

17. *Suntne plures Mundi?* Eſt tantum vnus, quia ſicut vnus eſt Mundus exemplaris ſc. Deus, ita, & debuit eſſe vnus exemplatus. Vnitas autem Mundi, non eſt vnitas formæ, ſed ordinis, in quantum omnes partes ſunt adinuicem colligatæ, omnes cauſæ inuicem ſubordinatæ, omnes denique creaturæ ad vnum finem factę ſc. ad gloriam ſummi opificis. Vnitatem Mundi ſic probat Ariſt. Si eſſent plures Mundi, vel conſtarent partibus ſimilibus, vel diſſimilibus: ſi diſſimilibus, ergo Mūdus diceretur æquiuocè: ſi ſimilibus ergo terra vnius Mundi, nata eſſet moueri ad terram alterius, id eſt ambæ ad eundem locum, & ignis ad ignem, ergo ſemper efficerent vnum Mundum. Mirare ergo eorum dementiam, qui non ioco tantùm, ſed seriò imaginantur alios Mundos in orbe Lunari, & Solari, aliam terram, & Elementa ab his diſtincta: mirare inquam inanis cogitationis efficaciam, aliorum quoque Mundorum creatricis. Solus Deus, cuius virtus infinita eſt, poteſt infinitas alias creaturas condere.

18. *Eſtne Mundus perfectus?* Eſt, imò perfectior fieri non potuit, quantum ad ſuum principium efficiens, finem, ordinem, & rerū eſſentias, quas continet. Quamquam ſecundùm quid, id eſt ſecundùm quædam accidentia, vel ſecundùm indiuiduorum, aut etiam ſpecierum maiorem multiplicationem, perfectior

ſectior fieri potuerit; vel, quod idem eſt, perfectior fieri potuit extenſiuè, non intenſiuè.

Finis lib. 1. de Cælo, & Mundo.

LIBER SECVNDVS
DE CÆLO.

1 Q*Vid eſt Cælum?* Eſt corpus ſimplex, ſublime, lucidum actu, vel potentia. Dicitur *corpus ſimplex*, quia non componitur ex alijs corporibus, licet componatur ex materia, & forma, ſicut cætera corpora naturalia. *Sublime*, id eſt ſupra Elementa conſtitutum, & eleuatum. *Lucidum actu, vel potentia*, actu per aſtra, quæ in ipſo ſunt, & cum quo voluuntur; potentia verò ſecundum ſuam ſubſtantiam, quæ propter maximam diaphaneitatem, maxime eſt Lucis ſuſceptiua. Sed nota ex D.Th. 1. Phyſ. L.8. corpus æquiuocè dici (Phyſicè loquendo) de corpore cæleſti, & corruptibili, quia non eſt vna eorum materia: tamen conueniunt in genere Logico. Quod non vna ſit eorum materia patet, quia quorum vna eſt materia ad inuicem ſunt tranſmutabilia, eo quod materia, dum eſt ſub forma vnius, retinet priuationem alterius:

 atqui

atqui corpus Cæleſte, & elementare, non ſunt ad inuicem tranſmutabilia, quia corpus cæleſte eſt incorruptibile, vt infra dicetur, ergo impoſſibile eſt, vnam eſſe eorum materiam.

2. *Vnde probatur dari huiuſmodi corpus?* Ex motu circulari: nam cùm ſit in genere duplex motus localis, ſcilicet rectus, & circularis, debet dari duplex corpus ſimplex, cui conueniat; rectus conuenit elementis, quia mouentur à centro ad circunferentiam, vel è conuerſo per lineam, qua poſſunt breuiorem, & conſequenter rectam: Ergo debet dari corpus aliud, quod circa centrum, per lineam circularem, id eſt æqualiter diſtantem à centro, moueatur, & hoc non poteſt eſſe aliud præter Cælum: Ergo reuera datur Cælum, & quidem diſtinctum ab elementis, quia habet ſitum, & motum diſtinctum ab illis. Motus rectus definitur ab Ariſt. *c.* 2. *primi lib.* motus *à medio*, *Vel ad medium* Motus circularis *circa medium*.

3. *Cælum eſtne animatum?* Forma Cælorum non poteſt eſſe Anima; quia anima nõ vnitur corpori niſi propter operationes ſuas exercendas; atqui corpus cæleſte, nõ poteſt deſeruire ad quaſcumq; operationes animę exercendas: non quidem ad operationes vegetatiuæ animæ, quia operationes illæ, ſcilicet vegetare, augere, & generare non fiunt ſine immutatione, & alteratione, quę corpori naturaliter incorruptibili competere nequit. Neque ad operationes animæ ſenſitiuę, quia

hæc

hæc requirit diuerſa organa, qualitatum elementarium perceptiua, quę in cælo nō ſunt. Multo minus ad operationes Animæ rationalis, quia anima rationalis vnitur corpori, vt per ſenſuum organa poſſit mutuari phantaſmata, quibus ad intelligendum indiget: hoc autem in Cælis non reperitur, ergo nullo modo poteſt corpus Cæleſte deſeruire oporationibus Animę, niſi ad ſolum motum localem; ſed ad illum non requiritur forma informans, ſed ſolum forma aſſiſtens, ei vnita, ſicut motor mobili, ergo reuera Cælum dici nequit animatum; Anima enim non eſt tantùm forma mouens, vt motor, ſed informans, vt pars compoſiti.

4. *Quot ſunt Cæleſtis corporis proprietates?* Sex numerantur, ſcilicet incorruptibilitas, ſoliditas, perſpicuitas, ſeu diaphaneitas, influentia, motus circularis, & orbicularis figura.

5. *Quomodo probatur Cæli inorruptibilitas?* Probatur *Primò* ex actione ſua, eſt enim primum alterans, & primum corrumpens; primum autem mouens eſt immobile in eo genere, in quo eſt primum, ſicut primum lucidum non illuminatur, nec primum calidum calefit. Ergo nec Cælum alterari poteſt, ergo eſt incorruptibile. *Secundò* ex parte diſpoſitionum ad corruptionem, quæ in cęlo non ſunt, nam corruptio fit ex contrarijs qualitatibus, atqui hæ non ſunt in Cælo, ſed ſunt Elementorū propriæ, nihil enim inuenitur in Cælo, quam Lux, quæ contrarium

 non

non habet,& motus circularis, cui etiam nihil eſt contrarium. Ergo Cælum corrumpi nequit. *Tertiò* ex parte formæ, quæ perfectè ſatiat materiam ſuam, eo quod, eſt cauſa quędam vniuerſalis, continens eminenter perfectiones rerum corruptibilium: ergo eius materia non poteſt aliam formam expetere. *Quartò* ex parte agentis, quia nullum eſt agens, quod poſſit in Cælum agere, cùm ſit primum corpus. *Quintò* ex congrua Dei diſpoſitione, decebat enim, vt corporum alia eſſent corruptibilia, alia incorruptibilia, quia ſupremũ infimi, debet quantum poteſt, attingere infimum ſupremi, non poteſt autẽ corpus attingere naturam ſpiritualem, niſi quantum ad incorruptibilitatem, & perpetuitatem in eſſe: ergo neceſſe fuit eſſe quædam corpora incorruptibilia, non alia, quam cæleſtia: Ergo. Idcirco nulla in eis corruptio, aut alteratio à ſua conſtitutione notata eſt.

6. *Quomodo aſtruitur ſoliditas?* Quia, quod eſt fluidum, eſt diuiſibile, & quod eſt diuiſibile, corruptibile eſt. Accedit ſcripturæ authoritas, quæ varias res naturales non docuit, *Iob* 37. Cæli ſolidiſſimi ſunt, quaſi ære fuſi. *Ad Heb.* 4. Habentes Pontificem, qui penetrauit Cælos, Tandem ſolida perfectiora ſunt fluidis.

7. *Quomodo aſtruitur perſpicuitas?* Quia perfectio corporum eſt poſſe recipere perfectiſſimam qualitatem ſc. lucem. Deinde ſi Cælum eſſet tantiſper opacum, non poſſent videri aſtra ſuperiora.

8. *Quid*

8. *Quid de Cæli virtute?* Cæleſtis virtus continuo influit in hæc inferiora: quia hic eſt ordo vniuerſi, vt ſuperiora agant in inferiora; Cælum autē eſt corpus ſuperius. Ergo debet influere in hęc inferiora, tanquā cauſa vniuerſalis in particularia agentia: quod, & ſenſu, & experiētia omnibus notū eſt. Influit autem directè in corporalia cauſando ſua virtute aliquam in eis tranſmutationē, tum ſubſtantialem, tum accidentalem: indirectè verò, & per accidens, (ratione corporis,) in animam, & voluntatem hominis, quæ cum ſit ſpiritualis, corporali virtuti directè ſubiecta eſſe nequit. Influit præcipuè per Lucem, quæ per motum diuerſimode applicatur. Influit vt cauſa principalis reſpectu rerum inanimatarum, ſed vitam nequit influere, niſi vt cauſa inſtrumentalis, agens ex virtute ſui motoris, qui eſt ſubſtātia viuens, vt aſſerit D. Th. 1. *p. q.* 70. *a.* 3. *ad* 3. Quid vnumquodq; Cęlū influat infra dicetur *n.*29.

9. *Quiſnam Cæli motus?* Cæleſtis motus circularis eſſe debet, 1. Quia corpus poſitum circa medium, non poteſt habere motum, niſi circa medium; ille autem eſt circularis: ergo. 2. Quia perfectiori corpori debetur motus perfectior; ſed inter motus, perfectior eſt localis, quia non relinquit corpus in potentia, niſi ad locum, quod poteſt fieri abſque vlla alteratione corporis: & inter locales, circularis perfectior eſt: ergo Cælo debetur. 3. Ad deferenda aſtra, quæ ſecundum diuerſas poſitiones locales, diuerſimode influunt,

variaſque cauſant generationes, tum ad pulchritudinem, tum ad conſeruationem vniuerſi. 4. Motus ſimplex debetur corpori ſimplici, vnus quidem vni, ſed motus circularis eſt motus ſimplex: ergo debetur corpori ſimplici, non Elementis, quæ recto motu natura agitantur, ergo Cælo. 5. Tandem, quia ſenſu, & experientia omnium compertum eſt ſydera omnia, diuerſam reſpectu noſtri ſituationem ſingulis horis habere: ergo neceſſe eſt, vel Cælum, vel terram, in qua degimus circulariter agitari: ſed non terra ſic mouetur; 1. Quia naturaliter motu recto mouetur; idem enim motus eſt partis, & totius. 2. Quia pluribus motibus deberet agitari, quia in aſtris diuerſas poſitiones obſeruamus: hoc autem eſt impoſſibile. 3. Quia ſingulis horis deberet terra 400. circiter leucas conficere, vt totam circulationem 24. horis perficeret, qui motus cum ſit velociſſimus, facillimè obſeruaretur, ſurſum lapide proiecto, qui non ad idem punctum, ſed ad multam diſtantiam decideret: quod pugnat cum experientia: Ergo terra circulariter non mouetur: Ergo Cælum.

10. *Moueturne Cælum à ſeipſo?* Nequaquam, ſed ab Intelligentia aſſiſtente: quia nullum corpus localiter mouetur à ſeipſo, id eſt ratione ſuæ formę, niſi ad determinatum Vbi, & locum naturalem, quo adepto naturaliter quieſcit, eo quod motus non eſt propter ſeipſum, ſed propter terminũ acquirendum: atqui Cælum continuò mouetur in

pro-

proprio loco, ergo à ſeipſo moueri nequit: Ergo reſtat, vt moueatur ab Intelligentia, apprehendente alium finem talis motus, quàm acquiſitionem Loci. Et hoc modo Natura angelica vtpote ſuperior, corporali naturæ? preæſſe, & dominari dicitur: dicente Aug. 3. *de Trin. c.* 4. Corpora omnia adminiſtrari à Deo per ſpiritum vitæ.

11. *Suntne plures Angeli mouentes Cælum?* Vnumquodque Cœlum habet ſuum Angelum motorem, imo, & Epicycli, & Excentrici, quia diſtinctos motus habent: ergo rationabile eſt, vt diſtinctos motores Angelos habeant. Eorum virtus mouens applicatur toti ſubſtantiæ orbis, tamen ſecundùm determinatum ſitum, nempe in Oriente, & ita Angelus neque per accidens mouetur ad motum cœli, ſicut mouetur in aſſumpto corpore.

12. *Quinam Angeli ad id deputantur?* Medij ſecundæ hierarchiæ, qui Virtutes nominantur; ob id virtutes Cœlorum in ſacris litteris dicti ſunt.

13. *Hic motus, cum ſit ab extrinſeco, & principio efficiente eſtne naturalis?* Eſt quidem, non præciſè ex parte principij actiui, ſic enim dicitur voluntarius, quia Angelus, per voluntatem ſuam mouet Cœlum: Sed ex parte principij paſſiui, quia ſubſtantia cœli inclinationem habet ex ſe ad talem motum, ab Angelo recipiendum.

14. *Quiſnam eſt finis Cœleſtis motus?* Proximus eſt conſeruatio vniuerſi per continuam

ſuc-

ſucceſſionem generationum in his inferioribus, vſque ad completum numerum electorum hominum: quo perfecto ceſſabit motus cæli. Finis verò vltimus eſt diuina bonitas, oſtendenda per aſſimilationem ad Deum in cauſando, at ait *D. Th. in 1. d. 37. q. 4. a. 1. ad 2.*

15. *Ceſſante motu Cæli, an omnis motus hic ceſſaret?* Omnis motus, & actio, quæ eſt ad tranſmutationem materiæ in his inferioribus ceſſaret, quia Cælum eſt primum alterans, ergo ceſſante eius actione ceſſaret omnis alteratio. Ceſſabit autem de facto in die Iudicij, qui idcirco finis Mundi dicitur, quia nulla amplius erit Elementorum tranſmutatio, nullumque mixtum remanebit, excepto homine, qui etiam cum motu cordis, alijſque quibuſdam motibus, qui modo à Cæleſti motu dependent, in æternum perſeuerabit: quia tunc anima in corpus, perfectum habebit Dominium, idque omne præſtabit, quod nunc habet ex cæleſti influentia; abſque vlla alteratione. Ceſſabit denique in inſtanti in eo ſitu Cęli, in quo formatum eſt.

16. *Suntne plura Cæleſtia corpora, an vnum tantùm?* Non ſolùm ſunt plura ſydera, vt oculus deprehendit, ſed etiam plures orbes ſydera deferentes, & plures orbium partes. Cælum itaq; tripliciter dicitur primò Metaphoricè, & ſic quandoq; Sancta Trinitas Cælum appellatur, propter ſpiritualem eius ſublimitatem, & de hoc hic non agitur. Secundò dicitur Cælum per participationem
ali-

æſcuius luminis, & ſublimitatis: & ſic Damaſc. ponit vnum Cęlum, nempe totum corpus, quod ſupra terram eminet, quodque diuidit in aereum, ſydereum, & aliud ſuperius ad quod raptus dicitur Apoſtolus. Tertiò Cęlum dicitur propriè, & naturaliter de illo corpore, quod eſt ſupra Elementa conſtitutum, & iſtud vnum ponitur à quibuſdam, in quo mouentur aſtra, ſicut aues in aere, vel piſces in aquis; ſed hoc ſtare nequit, quia Cælum non eſt fluidum; deinde nullo motu ſimplici moueretur, non recto, quia hic conuenit naturaliter Elementis, non circulari, quià ſolùm aſtra, non Cælum ipſum, mouerentur circulariter: Ergo cùm Cælum aſtra deferat, neceſſe eſt ponere plures orbes, & Sphæras propter diuerſos Aſtrorum motus; & quo ſunt motus, tot orbes ponere oportet. Primò igitur deprehenſi ſunt octo motus diſtincti, ſcilicet motus ſeptem Planetarum, & Firmamenti, in quo ſunt omnes Stellæ fixæ, ideò antiqui poſuerunt octo tantũ Cælos mobiles. Sed poſt modum multis obſeruationibus Aſtronomorum collatis ad inuicem, deprehenſi ſunt tandẽ à recentioribus quatuor diſtincti motus in firmamẽto, quorum vnus tantùm poteſt ei eſſe proprius, alij verò ſunt per accidens, quia vnum corpus nõ poteſt habere, niſi vnam lationem per ſe, ſi aliàs habeat, ſunt per accidens, ideſt ad motum aliorum mouentium: ſicut homo deambulans in naui, mouetur duplici motu, vno per ſe, altero per accidens ad motum nauis.

Pri-

Primus illorum motuum, qui,& notiſſimus eſt, ab ortu fit ad occaſum, ſpatio viginti quatuor horarum, qui, & diurnus dicitur. Secundus eſt ab occaſu ad ortum. Tertius eſt à Polo ad Polum, ſeu à Meridie ad Septentrionem, & rurſus à Septētrione ad Meridiem. Quartus eſt ab ortu ad occaſum, & ab occaſu ad ortum, veluti quædam libratio, ſicut, & tertius. Duo primi ſunt perfecti, id eſt perfectæ circulationes: duo verò alij ſunt tantùm per modicum ſpatium, nam tertius fit per 24. tantùm minùta vnius gradus; quartus per 2. gradus, & 20. Minuta. Ergo neceſſe eſt ponere tres Cœlos ſuperiores, à quibus proueniant in Firmamento tres alij motus præter proprium. Primus motus prouenit à primò mobili tanquam regulatiſſimus, ſecundus eſt Firmameto proprius, tertius imprimitur à Decima Sphæra, quartus tandem à Nona. Sunt ergo vndecim Cœli mobiles ex nouis obſeruationibus hoc ordine diſpoſiti: Supremum eſt primum Mobile, deinde duo Chryſtallini, ſeu aquei, poſtea Firmamentum, & Cœli Planetarum, Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, & Lunæ, quæ infirma eſt.

17. *Quænam ſunt periodi iſtorum motuum?* Motus *Primi Mobilis* fit ab ortu ad occaſum ſpatio 24. Horarum. Motus *Primi Chryſtallini*, ſeu decimæ Sphere eſt libratio à Polo ad Polum annis 3431. diebus 239. Motus *Secundi Chryſtallini*, ſeu nonæ Sphæræ eſt libratio ab ortu ad occaſum, & è contra annis 1715.

diebus

diebus 302. Motus proprius *Firmamenti* eſt ab occaſu ad ortum annis 25798. diebus 120. Motus Cœli *Saturni* (ſicut, & inferiorum) eſt ab occaſu ad ortum, & completur annis 29. diebus 155. horis 8. Motus Cœli *Iouis* annis 11. diebus 313. horis 17. Motus Cæli *Martis* anno vno, diebus 313. horis 22. Motus *Solis*, *Veneris*, *&* *Mercurij* completur diebus 365. horis 5. minutis 49. Tandem motus *Lunæ* diebus 27. horis 7. minutis 43. Sed, vt coniungatur cum Sole, fiatque nouilunium adduntur duo dies integri.

18. *Debetne aliud ſtatui Cœlum ſupra memoratos vndecim?* Ponitur à Theologis vnũ immobile, quod vocant Empyreũ à luciditate ignis, quadratum ſecundùm externam figuram, ſed rotundum ſecundum internam, alios Cœlos complectens, ratione naturali non ſatis notum, ſed colligitur ex illo *Apoc.* 21. *Ciuitas in quadro poſita*: eſtque ſedes Beatorum, quia maximè eorum ſtatui conuenit immobilitas: ſic omnes ſunt duodecim Cœli.

De Stellis, & Aſtris.

19. *Svntne Aſtra in quocumque illorum?* in octo inferioribus tantùm: nempe in Firmamento Stellę omnes; quas fixas appellant, eo quod eundem ſemper ſitum inter ſe, & motum habent, numero 1022. quæ nudo oculo, ſemper obſeruatę ſunt ab Aſtronomis, Sextuplicis magnitudinis, & in 48. imagines, ſeu conſtellationes diuiſæ. *Primæ* magni-

magnitudinis ſunt Stellæ 15. *Sec.* 45. *Tert.* 208. *Quartæ* 474. *Quint.* 217. *Sex.* 49. *Nebuloſæ* 5. *Obſcuriores* 9 Omnes ſimul 1022. plures ſanè ſunt, ſed viſum noſtrum fugiunt, niſi adiutum inſtrumento optico. Placet hic conſtellationum omnium Nomina, numerumque Stellarum vniuſcuiſque apponere, eo modo, quo in Globo Cæleſti ſolent adſcribi, vt curioſitati Lectoris ac commoditati ſatis fiat. Sed notandum Stellas informes quarundam conſtellationum, ſimul cum alijs Stellis eiuſdem conſtellationis nos numeraſſe, breuitatis cauſa.

Con-

Hæ ſunt in plaga Septentrionali, continent Stellas 360.

	Conſtellationum Nomina.	*Stellarum numerus.*
1	Vrſa minor, ſiue Cynoſura,	7
2	Vrſa maior, ſiue Helice,	35
3	Draco,	31
4	Cepheus,	12
5	Bootes, ſiue Arctophylax,	23
6	Corona Borealis,	8
7	Hercules,	29
8	Lyra,	11
9	Olor ſiue Auis,	19
10	Caſſiopeia,	13
11	Perſeus,	29
12	Auriga ſeu Erichtonius,	14
13	Ophiuchus, ſeu Serpentarius	29
14	Serpens Ophiuchi	18
15	Sagitta,	5
16	Aquila,	15
17	Delphinus,	10
18	Equiculus,	4
19	Pegaſus,	20
20	Andromeda,	21
21	Triangulum,	4

Hæ ſunt in Zodiaco, cõtinẽtq; Stellas 346.

22	Aries,	38
23	Taurus,	43
24	Gemini,	25
25	Cancer,	13
26	Leo,	34
27	Virgo,	32
28	Libra,	17
29	Scorpius,	24
30	Sagittarius,	31
31	Capricornus,	28
32	Aquarius,	44
33	Piſces,	37

Hæ ſunt in plaga Auſtrali, num 316.

34	Cetus,	22
35	Orion,	38
36	Fluuius ſiue Eridanus,	34
37	Lepus,	12
38	Canis Maior,	29
39	Canis Minor,	2
40	Arcus, ſiue Nauis,	45
41	Hydra,	27
42	Crater, vel Vrna,	7
43	Coruus,	7
44	Centaurus,	37
45	Beſtia Centauri, ſiue Lupus,	19
46	Thuribulum, ſeu Ara,	7
47	Corona auſtrina, vel rota Ixion.	13
48	Piſcis auſtrinus, ſiue Notius,	17

Cæteri ſeptem Cæli inferiores ſeptem Planetas deferunt, quia aſtra erratica dicuntur; quia non æqualem ſitum inter ſe, nec cum Stellis Firmamenti ſeruant.

20.

20. *Quid eſt Stella, ſeu Aſtrum?* Eſt pars denſior ſui orbis, perfectè Sphærica, orbi affixa ſicut nodi in tabula, ob quam denſitatem lumen reflectere valet: quamquam probabile quoque ſit, differre ſpecie à ſuo Cœlo, ſicut lapillus ab auro, in quo includitur.

21. *Recipiuntne Aſtra cętera Lumen à Sole?* Etiam, nam idem fit iudicium de alijs ac de Luna, quam manifeſte Lumen à Sole mutuari experimur; nam ſecundum diuerſam eius ad Solis habitudinem, diuerſum quoque Lumen reflectit in terram. Dixerim tamen habere aliquod quoque Lumen innatum: præcipuè Stellas fixas.

22. *Poſſuntne generari nouæ Stellę, vel etiam Cometæ in Cœlo?* Poſſunt quidem diuinitùs, ſed naturaliter nequeunt, quia Cœlum naturaliter eſt incorruptibile, ergo ex eius materia nihil poteſt generari.

23. *Quid igitur dicendum de ſyderibus quibuſdam, de nouo in Cœlo apparentibus, vt de illa Stella, quę per bienniũ ſęculo pręterito apparuit in Caſſiopeia?* Dicendũ, eſſe Stellas verè cum alijs creatas, quæ tamen non ſunt perpetuæ apparitionis, quia mediam habent partem raram, non valentem Lumen reflectere; & cum moueatur, vel in Epicyclo, vel ſuper proprios Polos; quando pars illa rarior: eſt verſus terram, non poteſt Stella videri; Sed ſolummodo cùm pars denſior lumen reflectens verſus terram vertitur. Quantum ad Cometas, nullo modo exiſtimandum eſt in Cœlo generari, ſed in ſuprema aeris regione

ex

ex terreſtri exhalatione; multumque hallucinantur recentiores quidam in ſuis obſeruationibus, Cometas aliquos minorem paralaxim efficere, quàm ſydera quædam.

24. *Quid cenſendum de via lactea in Cælo conſtanter apparente?* Eſt pars quædam Cæli paulò denſior, lumen excipiens, ſatis tamen exiguum, ideo cernitur, vt albor quidam, alij dicunt, eſſe multitudinem minimarum Stellarum; vtrumque probabile.

25. *Vnde proueniunt Lunares maculæ?* Ex eo quod ſunt partes quædam cæteris rariores, quæ tantùm Lucis recipere nequeunt, & reflectere.

26. *Vnde proueniunt Eclypſes tùm Lunę tùm Solis?* Eclypſis *Lunaris* fit ex interpoſitione terræ inter Solem, & Lunam, quando hæc duo Aſtra è diametro opponuntur, fit enim, vt vmbra terræ in corpus Lunare proijciatur, illudq; lumine priuet: quod contingit in plenilunio, Luna exiſtente in capite vel cauda Draconis, vel propè, ideo non in omni Plenilunio fit Eclypſis, nec eodem modo. Eclypſis *Solaris* fit per interpoſitionem corporis Lunaris inter Solem, & viſum noſtrũ, quod corpus cum ſit opacum impedit ne lumen Solis ac terram perueniat: quod contingit in Nouilunio, quando Luna eſt Soli coniuncta, eſtque in capite aut cauda Draconis, vel propè. In Eclypſi Luna obſeruata cernitur ab omnibus non item Sol, quia Luna verum patitur Lucis defectum nõ verò Sol.

27. *Suntne omnia Aſtra æqualia?* Sunt

qui-

quidem in figura, quia omnia Sphærica ſunt, & Globi perfecti: Sed differunt in quantitate iuxta ſequentem tabulam.

1	Sol eſt maximum Aſtrum, eſtque maior terra vicibus,	166
2	Stella primæ mag. maior terra,	107
3	Iupiter maior terra,	95
4	Saturnus maior terra,	91
5	Stella ſec. magn. maior terra,	90
6	Stella tertiæ magn. maior terra,	72
4	Stella quartæ mag. maior terra,	54
8	Stella quintæ mag. maior terra,	36
9	Stella ſextæ mag. maior terra,	18
10	Mars maior terra paulo plus,	1
11	Venus minor terra,	37
12	Luna minor terra,	39
13	Mercurius minor terra.	21951

28. *Cur Aſtra maiora vidẽtur prope horiſontẽ quàm in medio cæli?* Quia prope Horiſontẽ multi ſunt vapores, radios noſtros viſuales diſgregantes, & veluti aſtrum approximantes; ideo maius apparet, ſicut patet in denario, proiecto in profundo aquę lympidę.

29. *Sunt ne Aſtra eiuſdem virtutis, & influentiæ?* Varias omninò habent virtutes, quia diuerſos motus habent, diuersã quantitatem, ſituationem, Lucem &c. De Stellis fixis longum eſſet recẽſere, & potius Aſtrologi eſt, quam Philoſophi. Saturnus frigidus eſt, & ſiccus, (id eſt has qualitates influit) maleuolus, & noxius. Iupiter temperatè calidus, & humidus, atque beneuolus eſt.

Mars

Mars Calidus, & ſiccus, ideò noxius. Sol maximè beneuolus ſuo viuifico calore, omnibus vitam tribuit, eſtque veluti cor in animali. Venus temperat Martis malitiam, ac eius ignitum feruorem. Mercurius cùm bono Planeta bonus, eſt cum malo malus. Luna frigida, & humida, ideò efficit temperamentum phlegmaticum: Mars cholericum: Iupiter ſanguineum; Saturnus melancholicum. Sol alterat ignem; Luna aquã; Saturnus cauſat in aere frigus congelatiuũ, Mars æſtum; Iupiter temperiem in calido; Venus temperiem in frigido, & humido; Mercurius facilem commiſcibilitatem. Dicitur Cœlum empyreum influere perennitatem, & perpetuitatem motus, Firmamentum verò diuerſitatem; ideò Sol iuxta diuerſitatem ſignorum Zodiaci, ſub quibus decurrit, varias anni tempeſtates efficit.

30. *Poſſuntne prædici futuri euentus certò, & infallibiliter ex Aſtrorum motibus, & influentijs?* Poſſunt quidam, nempe ij, qui immediatè ex Cœlorum motu pendent, vt Eclypſes Solis, & Lunæ, ortus, & occaſus ſyderum: alij poſſunt prædici coniecturaliter, &, vt plurimum, ij ſcilicet, qui ex Cœlorum motu, medijs cauſis inferioribus pendent, cuiuſmodi ſunt peſtes, fames, pluuiæ &c. Tandem alij per accidens omninò præuideri poſſunt, qui nempe ex libera hominis voluntate pendent, eo quod voluntas hominis, non niſi per accidens, & ratione corporis, Cœlorum influentijs ſubijcitur.

31.

31. *Quænam eſt Cælorum diſtantia à Centro terræ?* Iuxta recentiorum computationem, ſequens conſtructa indicat tabula.

A Centro Terræ computantur Leucæ communes, (quarum vna duo efficit milliaria) vſque ad concauum,

Lunæ,	60315
Mercurij,	114843
Veneris,	300083
Solis,	2006962
Martis,	2176513
Iouis.	15846200
Saturni,	25733949
Firmamenti,	40471235
Nonæ Sphæræ,	80942471

32. *Cœli ſuntne Orbes ſimplices, an ex varijs orbibus compoſiti?* Superiores ſunt ſimplices: at Cœli Planetarum, ex tribus orbibus cõponuntur; quorum duo, nempe ſuperior, & inferior ſunt ſecundùm ſe totos concentrici, ideſt habent idem centrum cum centro mundi; ſed ſecundùm partes orbi deferenti contiguas, excentrici ſunt; ideò dicuntur excentrici ſecundùm quid. Medius vero vocatur orbis deferens, quia in eo defertur Aſtrum, eſtque ſimpliciter excentricus, id eſt aliud centrum à centro mundi habet ſecundùm ſe totum. Hinc fit Aſtrum aliquando remotius, aliquando terræ proprius exiſtere. Præterea omnes Planetæ præter Solem, habent Epicyclum, qui nihil eſt aliud, quam Globus quidam intra craſſitiem orbis deferentis poſitus. eamque totam occupans, & in ſe continens Aſtrum, cùmque in proprio

M loco

loco circulariter moueatur Epicyclus ille, Aſtrum aliquando eſt in ſuperiori parte orbis deferentis, aliquando in inferiori, etiam dum ipſum eſt in auge.

33. *Cuiuſnam figuræ ſunt Cæli?* Omnes rotundi ſunt, preter Empyreum ſecundùm connexum: ratio eſt, quia ſi Cæli eſſent alterius cuiuſque figuræ, quoſdam haberent angulos: Ergo circulariter moueri non poſſent, niſi, vel ſeinuicem penetrarent, vel ſaltem contigui non eſſent, ſicque daretur vacuum intermedium; quæ duo repugnant: ergo Cæli perfectè Sphærici eſſe debent, hinc orbes vocantur. Deinde figura ſphærica perfectior eſt, quia vna clauditur Linea, cæteræ pluribus; & commodior, quia omnium capaciſſima.

34. *Sunt ne omnes Cæli ſpecie diuerſi?* Etiam, quia multiplicatio indiuiduorum nõ intenditur, niſi ex eo quod ſunt corruptibilia, vt per eorum multiplicationem ſpecies conſeruetur: Cæli autem ſunt incorruptibiles, Ergo. Deinde diuerſos omnino effectus producunt, qui diuerſas proprietates indicant, & conſequenter diuerſam naturam: Tandem diuerſum ſitum habent in vniuerſo.

35. *Accidentia Cælis, & ſublunaribus communia, ſunt ne eiuſdem ſpeciei?* Etiam, quia eoſdem effectus formales habent; V.G. quantitas, Lux &c.

FINIS lib. 2. de Cælo, & Mundo.

LIBER

LIBER TERTIVS

DE ELEMENTIS.

1. Q*Vid eſt* ELEMENTVM? Eſt corpus ſimplex, natum moueri motu recto. Dicitur corpus ſimplex, ſicut Cælum, quia non componitur ex mixtione aliorum corporum: ſed diſfert à Cælo, quia Cælum natum eſt moueri circulariter, Elementum motu recto.

3. *Quomodo probatur dari Elementum?* Quia cum in genere ſit duplex motus ſimplex, (motus autem ſimplex ille dicitur, qui fit per lineam breuiſſimam.) Debet quoque eſſe duplex corpus ſimplex, cui naturaliter conueniat: primus motus eſt circularis, & hic conuenit Cęlo, alter eſt rectus, & non poteſt conuenire niſi Elemento: Ergo, Quod, quidem hoc fine à natura diſpoſitum eſt, vt partes Mundi pręcipuæ ſuum locum ſeruarent in vniuerſo: nam per motum circularem, Cælum non poteſt niſi circunferentiam occupare, per motum rectum, Elementum occupat locum verè à medio ad circunferentiam; nam per motum rectum feruntur naturaliier ad propria loca, & conſequenter naturaliter in eis quieſcunt, finis enim motus ad locum, eſt quies in loco.

3. *Quot ſunt Elementa?* Quatuor Philoſo-

phorum omnium conſenſu ponuntur ſcilicet IGNIS, AER, AQVA, TERRA. Quod ſic ſuaderi poteſt: quia tot debent eſſe Elementa, quot diſtincti motus recti eſſe poſſunt, eo quod Elementum mouetur motu recto; atqui ſunt quatuor ſpecies motus recti, quia quatuor ſunt diſtincta loca, ad quæ terminantur hi quatuor motus, ſcilicet, locus ſurſum ſimpliciter, locus deorſum ſimpliciter, locus ſurſum ſecundùm quid, & locus deorſum ſecundùm quid: Ergo ſunt quatuor Elementa, Ignis in loco omninò ſuperiori, Terra in loco omninò infimò, Aer in loco ſurſum ſecundùm quid, & Aqua in loco deorſum ſucundùm quid; ad quæ loca naturaliter mouentur, quando extra ponuntur.

4. *Poſſuntne poni Elementa extra locum ſuum?* Poſſunt ſecundùm partem, non ſecundùm totum, ſic enim perturbaretur ordo vniuerſi: Idem autem eſt motus Totius, & partis corporum homogeneorum, qualia ſunt Elementa: Ergo ex eo, quod gutta aquę ſurſum poſita, deorſum naturaliter feratur, rectè concludimus aquæ Elementum habere motum deorſum. Alia ratione probabitur Elementorum quaternarius numerus *in lib. 2. de gen. num. 9.*

5. *Quid vocas Locum ſurſum, & deorſum?* Locus ſurſum eſt, qui à medio elongatur, deorſum verò eſt ipſum medium, ſeu centrum Mundi, ideo locus ſurſum ſimpliciter eſt, qui maximè à medio elongatur, locus deor-

deorſum ſimpliciter, qui ipſum medium occupat: Loca vero intermedia, ſunt, quæ his approximant.

6. *Cuiuſnam figuræ ſunt Elementa?* Sphæricæ, ſicut Cæli, quod probatur ab Ariſt. ratione Phyſica, ex motu deſumpta: nam Elementa mouentur motu recto, & cum omnes partes ſint æquales, omnes moueri debent æqualiter; vel à centro, vt leuia, vel ad centrum, vt grauia; vnde videmus aquã ſemper decliuiora loca quærere, donec omnes partes ęquentur: atqui, quod ęqualiter diſtat à centro, vel ęqualiter ad centrum tendit, neceſſariò debet figuram rotundam efficere: Ergo elementa rotundæ ſunt figuræ. Hinc reijce opinionem illorum, qui dicunt Mare in medio tumeſcere, & veluti in montem eleuari, habet enim ſuperficem perfectè Sphæricam, ita vt, ſublatis agitationibus, linea ducta ab vna Maris extremitate, vndequaque ad alteram immediatè tangens aquam, perfectum arcum efficiat. Alio modo probant Aſtronomi terræ, & aquę rotunditatem, nempe ex vmbra, quam efficiunt, nam in Eclypſi Lunari, vmbra Terræ, & Aquæ in Lunam, producta ſemper rotunda apparet, id eſt, in quocumque Cœli ſitu fiat Eclypſis: Ergo neceſſe eſt corpus talem vmbram efficiens eſſe rotundum. Hinc colligitur, Terram, & Aquam non efficere niſi vnum Globum, quia vnicam tantùm producunt vmbram. Vocaturque Globus Terraqueus.

7. *Quomodo terra rotunda eſſe poteſt, cum*

plures valles, montes, & planities habeat? Montes, & planities non impediunt terræ rotunditatem, quia ſunt inſenſibilis quantitatis reſpectu totius Terrę; ſicut punctuationes acus in Globo aliquo ligneo non impedirent eius rotunditatem; Terra igitur propter duritiem ſuarum partium, ad loca decliuiora tendere non valentium, non habet ita exactam rotunditatem, ſicut cætera Elementa, quæ fluida ſunt, quorumque partes æquari facilè poſſunt.

8. *Eſtne idem centrum, ſeu medium à quo, vel ad quod tendunt Elementa?* eſt idem, nempe centrum Mundi, quia per eaſdem lineas aſcendunt, & deſcendunt Elementa, V. G. gutta aquæ, & lapillus, per eandem lineam tendunt deorſum; ergo eorum eſt vnum centrum. Similiter dicendum de Aere, & Igne. Quod verò centrum Terræ ſit centrum Mundi probatur, 1. Quia, in quacumque terræ regione exiſtat homo, vel in mari, Stellæ in circulo Meridiano ei apparent eiuſdem magnitudinis, ergo ſuperficies connexa terræ æqualiter diſtat à Cælo, ergo centrum talis ſuperficiei debet eſſe centrum Mundi. 2. Quia in quocumque loco exiſtat homo, medietatem Cæli videt, quia ſex ſigna ei oriuntur, & ſex occidunt: Ergo terra debet eſſe verè in medio; & præterea debet eſſe in ſenſibilis quantitatis, & veluti punctum reſpectu Firmamenti, eo quod, ex ſuperficiè eius videatur medietas Cęli, æquè ac ex c.ntro, cùm tamen ſit terræ ſemidiameter,

meter, ſeu ſpatium inter centrum, & ſuperficiem 1517. Leuc. oportet igitur, vt hæc diſtantia ſemidiametri terræ ſit inſenſibilis quantitatis. Denique probatur ratione Phyſica, ex motu, cùm enim centrum Mundi ſit locus deorſum, omnes partes Elementi grauis debent ad illud vndequaque tendere: ergo idem erit centrum Terræ, & Mundi.

9. *Quantus eſt Globi terraquei ambitus?* Secundùm recentiores vnicuique gradui in terra, tribuuntur milliaria 53. ſeu leucę communes Gallicæ circiter 26. Cùm igitur ſint 360. gradus; erit terræ ambitus 19080. milliariorum, vel 9540 leucarum; diameter 3035. leucarum; ſemidiameter, ſeu à ſuperficie ad centrum 1517. leuc.

LIBER QVARTVS

DE MOTV ELEMENTORVM.

1. A*Quonam principio mouentur localiter Elementa?* Principium efficiens motum Elementorum, debet eſſe naturale; quia Elementa mouentur naturaliter, nempè vt locum ſuum naturalem acquirant, quo habito quieſcunt. Hoc autem principium duplex eſt, internum, ſeu *quo*, & externum, ſeu *quod*: principium *quo* duplex eſt, ſcilicet, radicale, & proximum; radicale eſt forma eorum ſubſtantialis; quæ cùm ſit natura, eſt principium, & cauſa motus eius, in quo eſt; proximum eſt qualitas motrix, nempe grauitas, & leuitas; ad formam enim Elementi naturaliter ſequitur grauitas, vel leuitas. Tandem principium *quod*, & cauſa efficiens motus Elementorum, eſt Generans; quia, qui dat eſſe, dat, & conſequentia ad eſſe; atqui locus naturalis conſequitur eſſe corporum, quia locus eſt conſeruatiuus locati: ergo motus ad locum illum efficitur à generante.

2. *Quot ſunt qualitates motrices Elementorum?* Duæ in genere ſc. Grauitas, & Leuitas; ſed quatuor in ſpecie, nempe leuitas ſimpliciter, & leuitas ſecundùm quid, grauitas ſimpli-

ſimpliciter, & grauitas ſecundùm quid, iuxta quatuor diuerſa loca, vt ſupradictum eſt: ideo ſunt duo Elementa leuia ſc. Ignis, & Aer, & duo grauia, Terra, & Aqua. Ignis leuiſſimus ad locum ſupremum tendit: Aer leuis ad locum infra ſupremum aduolat. Terra grauiſſima ſubſidet omnibus; Aqua grauis ſupra terram, ſed infra Aerem detinetur.

3. *Habentne Grauitatem, & Leuitatem in proprio loco?* Habent quidem, quaſi in actu primo, non verò in actu ſecundo, id eſt non grauitant nec leuitant, ſed quieſcunt.

4. *Mouenturne velociùs in principio, an in fine?* Velociùs in fine, quia ex propria inclinatione mouentur: inclinatio autem eo maior eſt, quo magis appropinquatur loco naturali.

5. *Habentne alium motum, præter rectum?* Habent quendam motum circularem (præter terram) ex impreſſione Cœli: nam videmus Aquam, per fluxum, & refluxum, moueri ad motum Lunæ: ſuprema pars Aeris etiam circulariter mouetur, vt apparet in cometis, ibi exiſtentibus: & multo magis Ignis; quia, quantò corpus inferius eſt perfectius, tantò magis conſequitur de motu ſuperioris.

FINIS librorum de Cœlo, & Mundo.

LIBER PRIMVS

DE ORTV, ET INTERITV.

1. *QVodnam ex obiectum librorum de ortu, & interitu?* Eſt Ens mobile motu alterationis, ſicut enim in præcedentibus quatuor libris agitur de Ente mobili motu locali, ita hic de Ente mobili motu alterationis, qui eſt ſecunda ſpecies motus Phyſici, tenditque ad generationem, & corruptionem rerum naturalium: in libris tandem de anima, agitur de ente mobili motu augmentationis, vera enim augmentatio, ſeu accretio rerum eſt ab anima. In primo igitur hoc lib. ſermo eſt præcipuè de ipſa generatione, & corruptione ſubſtantiali, ac alteratione præcedente; deinde de quibuſdam mutationibus, generationi deſeruientibus, aut comitantibus, vt ſunt condenſatio, rarefactio, actio, & reactio, paſſio, & repaſſio, antiperiſtaſis, ac deniq; mixtio. In ſecundo verò lib. ſermo erit de Elementorum generatione, & corruptione ac mixtorum temperamento.

De Generatione, & Corruptione Subſtantiali.

2. *GEneratio ſubſtantialis eſt ne poſſibilis?* Maximè, quia appetitus naturalis non

non eſt fruſtra: atqui vnumquodque appetit naturaliter producere ſibi ſimile, quia appetit naturaliter ſui perpetuitatem, quam non poteſt habere in ſe, ſed tantùm generando ſibi ſimile in ſpecie: ergo vt appetitus ille non ſit fruſtra, debet generatio eſſe poſſibilis. Deinde quotidie experimur multa oriri, & interire ſubſtantialiter. Tandem poſſibilis eſt alteratio, vt etiam experientia docet: ergo, & generatio, quæ eſt eius terminus.

3. *Quid eſt generatio ſubſtantialis?* Generaliter definitur MVTATIO, ſeu trāſitus de non eſſe ſimpliciter: prout verò reperitur in Viuentibus; GENERATIO EST PROCESSIO Viuentis à Viuente, ex principio vitę coniūcto, in ſimilitudinem naturæ ſpecificę, ex vi talis proceſſionis. Et hæc fundat relationem paternitatis, & filiationis. Vnde ſtatua non dicitur filia ſtatuarij, quia non eſt viuentis à viuente; nec vermis, filius hominis, à quo generatur, quia non eſt in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ; nec tandem Eua filia Adami, aut in diuinis Spiritus Sanctus filius primæ, & ſecundæ perſonæ, quia non habent ſimilitudinem, ex vi ſuæ proceſſionis, licet aliundè habeant. Definitur etiam ab Ariſt. *Mutatio* totius in totum, nullo ſenſibili, vt ſubiecto manente.

4. *Generatio eſtne diſtincta à tota alteratione præcedenti?* diſtinguendū eſt, quia generatio poteſt ſumi tripliciter; vel pro mutatione, & tunc eſt tranſitus de nō eſſe ad eſſe; vel pro actione, & tunc eſt introductio formæ ſub-

ſtantialis in materiam, & productio non eſſe; vel tandem pro paſſione, & tunc eſt ipſum produci rei, vel acquiſitio eſſe. In ratione mutationis, certum, eſt alterationem eſſe à generatione diſtinctam; quia vna eſt accidentalis, altera ſubſtantialis, habentque terminos diſtinctos à quo, & ad quem: & ſic alteratio, generatio, & corruptio ſunt tres diſtinctæ mutationes, propter tres diſtinctos terminos. Generatio verò, vt paſſio eſt eadem entitas cum generatione, vt actione; quia actio, & paſſio non diſtinguuntur entitatiuè. Tandem generatio ſumpta, vt actio, eſt ipſamet actio alterationis, quia generatio eſt introductio formæ, quæ ſecluſa quacunq; alia actione introducitur ad introductionem vltimę diſpoſitionis: atqui introductio vltimæ diſpoſitionis eſt alteratio? ergo generatio eſt ipſa alterationis actio. Deinde eſt vnus tantùm motus, quo introducitur præcedens diſpoſitio, & forma ſubſtantialis, ergo eſt tantùm vna actio: Eſt vnus motus, quia eſt vnum Tempus.

5. *Quomodo ergo producitur ſubſtantia per actionem alteratiuam, quæ non videtur producere niſi accidens?* Producitur accidens primariò, per reſultantiam verò, & ſecundariò producitur ſubſtantia; quia toto tempore præcedenti, per actionem Agentis alteratur ſubiectum, id eſt introducuntur diſpoſitiones, quæ ſunt accidentia, ſed in inſtanti terminante totùm illud tempus, forma ſubſtantialis introducitur, fitque generatio, quaſi

per

per reſultantiam motus,& actionis Agentis, licet primariò intendatur. Cùm ergo dicitur, per alterationem produci tantùm accidens, diſtinguendum eſt; quando non eſt completa, *Concedo*, quando eſt completa, *Nego*; nam tunc illud accidens eſt vltima diſpoſitio, ad quam neceſſariò ſequitur forma ſubſtantialis.

6. *Quodnam eſt ſubiectum generationis?* Eſt materia prima, quia ipſa ſola tranſit ab vna forma ad aliam: atqui generatio ſumpta, vt mutatio, eſt ille tranſitus: Ergo.

7. *Quiſnam eſt terminus generationis?* Eſt id, quod fit per generationem: plura autem fiunt per generantium. 1. Fit forma ſubſtantialis. 2. Fit forma totalis, ſeu natura, V.G. humanitas. 3. Suppoſitum, ſeu id, quod habet naturam, V.G. homo. 4. Fit exiſtens, ſeu id, quod ponitur omninò extra cauſas. 5. Tandem fiunt proprietates, & cętera accidentia, quæ naturam comitantur, vel indiuiduum. Forma ſubſtãtialis eſt terminus formalis *quo* primarius, & immediatus; forma totalis eſt terminus formalis *quo*, vltimus, & mediatus, quia per generationẽ producitur natura, vt id *quo* vltimò conſtituitur genitum: Suppoſitum eſt terminus *qui* primarius: Exiſtens verò eſt terminus *qui* abſolutè vltimus, quia exiſtentia eſt vltima actualitas rei, ergo ad Exiſtens vltimò terminatur generatio, vt ad id, quod completè genitum eſt. Proprietates tandem per quandam reſultantiam producuntur, ſuntque terminus ſecũdarius genera-

ratio-

rationis; quia poſito Toto naturali, neceſſariò ponuntur eius proprietates, nam qui dat Eſſe, dat & conſequentia ad Eſſe.

8. *Quomodo intelligitur Generationem vnius eſſe corruptionem alterius?* Sic intelligitur, quòd eadem actio introductiua vnius formę, eſt etiam expulſiua alterius, quia materia nō poteſt habere ſimul duplicem formam ſubſtantialem, ſed, ſi vna aduenìat, alteram, abire neceſſe eſt: Ergo quando fit generatio vnius, neceſſariò fit corruptio alterius: Et ſic concomitanter tantùm, & cauſaliter ſe habent inter ſe, nō formaliter, quaſi generatio ſit eadem mutatio, ac corruptio, quod falſum eſt.

9. *Quid eſt Corruptio?* Eſt mutatio de Eſſe ad non Eſſe ſimpliciter, & quia generationi opponitur, per oppoſitum ad generationem de ea iudicandum eſt.

10. *Quot modis corrumpitur aliquid, latè ſumendo corruptionem?* quatuor; vel per abſentiam cauſæ conſeruantis, vt per abſentiam Luminatis, corrumpitur lux: Vel per deſtructionem ſubiecti, vt per mortem hominis deſtruuntur eius qualitates; vel per actionem contrarij, vt ignis ab aqua corrumpitur; vel tandem per deſitionom termini, vt in relatiuis.

11. *In corruptione ſubſtantiali ſitne reſolutio omnis formæ vſque ad Materiam primam?* Etiam, quia nihil remanet eorum, quæ priùs erant excepta materia prima: nam non remanet forma ſubſtantialis, quæ per corruptionem perit, nec forma accidentalis, quæ ſuppo-

ſupponit ſubſtãtialem, eo quod actus ſecundus ſupponit primũ; igitur in corruptione omnis forma reſoluitur, manetque ſola materia, quæ eſt ſubiectum, ex quo fit aliquid. Quamuis ergo videantur eſſe eadem accidentia in corrupto, ac in genito V. G. eadem figura, quantitas, eędem cicatrices, nõ tamen ſunt eadem numero, ſed ſpecie; quia ſubiectum non eſt numero idem, ſed diuerſum, & non poteſt idem accidens numero eſſe in duobus ſubiectis, ac de vno in aliud migrare, quia accidens indiuiduatur à ſuo ſubiecto.

12. *Ad generationem requiruntur ne quædã diſpoſitiones?* Etiam, quia forma non introducitur in materiam, niſi diſpoſitã ad eam recipiendam, aliàs poſſet eſſe cum qualitatibus ſibi cõtrarijs: Ergo antequam introducatur, debet diſponi per præcedentem alterationem, qua introducuntur qualitates contrariæ formæ corrumpendę, eamque expellentes; ſed conuenientes formæ introducendæ, ideo dicuntur diſpoſitiones ad illam. Aliæ autem ex illis ſunt antecedentes, aliæ concomitantes: priores recipiuntur in ſubiecto corrumpendo, & per accidẽs corrumpuntur ad corruptionem illius; attamen ſigillant, & determinant materiam ad hanc potius formam ſubſtantialem, quàm ad aliam: Concomitantes verò ſunt, quæ ſimul, & eodem inſtanti cum forma ſubſtantiali introducuntur, ideò appellantur vltimæ diſpoſitiones.

13. *Suntne priores natura hæ quàm forma, an poſteriores?* Mutuò ſe pręcedũt, & ſequũtur.

tur, quia mutuò in ſe influunt: in diuerſo genere Cauſæ. Vltimæ diſpoſitiones ſunt priores in genere cauſæ materialis, quia prius eſt materiam diſponi, quàm recipere formam: ſed forma prior eſt in genere cauſæ efficientis, quia cum diſpoſitiones ſint accidentia propria, neceſſariò fiunt, & emanant à forma ſubſtantiali: Ergo forma ſubſtantialis prior eſt.

14. *Corruptio ſubſtantialis eſtne per ſe intenta à natura?* Non eſt intenta primariò, quia eſt aliquod Malum, ſed ſecundariò, id eſt ex eo, quod intendit generationem, quæ non poteſt eſſe ſine corruptione alicuius alterius.

De Alteratione.

15. QVid *eſt Alteratio?* Communiſſimè ſumpta eſt quæuis mutatio accidentalis, quia per hanc fit quodammodo ſubiectum alterum. Propriè eſt motus à qualitate in qualitatem; vel, vt hic ait Ariſt. ALTERATIO eſt, quando manente ſubiecto ſenſibili, tranſmutatur in eius paſſionibus, aut contrarijs motibus, aut entibus medijs: *in eius paſſionibus*, id eſt fit tranſmutatio ſecundùm paſſibiles qualitates, medias, vel extremas, ſeu contrarias.

16. *Alteratio eſtne motus Phyſicus?* Etiam, & eſſentialiter continuus; quia eſt inter terminos poſitiuos, inter quos datur latitudo ſucceſſiuè percurrenda, & abſque interruptione

tione fit toto tempore, quo Agens manet debitè applicatum paſſo: ergo non ſolùm eſt ſucceſſiuus, ſed etiam continuus.

17. *Ad quas qualitates terminatur?* Ad qualitates tertiæ ſpeciei, quę ſenſibiles ideò appellantur; non tamen ad omnes; Lux enim non fit per motum ſucceſſiuum, ſed in inſtanti, quia non habet contrarium, ſicque non requiritur aliquod tempus ad vincendum illud, ſicut in alijs qualitatibus requiritur. Poteſt tamen terminari ad qualitates primæ ſpeciei V. G. ſanitatem, ſecundariò, non primariò.

18. *Quotuplex eſt Alteratio?* Triplex ſcilicet *Alteratio ſimpliciter dicta*, quæ eſt acquiſitio qualitatis ſimpliciter, vt cum de calido fit frigidum: *Intenſio*, quæ fit, cùm qualitas iam præexiſtent ſecundùm aliquos gradus, aut modos perfectionis augetur; vt cùm de minus calido fit magis calidum: Tandem *Remiſſio*, quæ intenſioni opponitur, cùm qualitas decreſcit, vt cùm de magis calido fit minus calidum. Ratio huius triplicis ſpeciei alterationis eſt, quia ſunt tres termini formaliter diſtincti: primus eſt qualitas ſimpliciter, ſecundus eſt incrementum eiuſdem, tertius eſt decrementum: Ergo tres debent eſſe ſpecies motus alterationis.

19. *Quomodo fit Intenſio, & Remiſſio qualitatum?* Intenſio, & remiſſio in qualitatibus non debet propriè dici augmentum, vel decrementum, quia hæc nomina pertinent ad genus quantitatis; ſed propriè dicitur maior

vel

vel minor perfectio qualitatis in ſubiecto: tamen,quia nobis notius eſt genus quãtitatis quàm reliqua, transferre ſolemus ea, quæ ſunt propria generi quantitatis ad alia; & ita dicimus caloris incrementum, & decrementum,quæ nihil aliud ſunt,quàm formalior, vel minus formalior participatio caloris à ſubiecto, in quo eſt: proprium enim eſt formæ participari à ſubiecto, id eſt ſubiectũ informare, & denominare tale; atqui qualitas eſſentialiter eſt forma, ergo ei maximè conuenit ſubiectum informare,& qualificare. Quando igitur fiet perfectior in ſubiecto, dicetur *intendi*,& è contra *remitti*. Sed difficultas eſt, an fiat perfectior per additionem veluti quarundam partium qualitatis, quas vocant gradus; vel per additionem alterius qualitatis ad præcedentem; V. G. alterius caloris, ad hoc, vt lignum fiat calidius. Primum dici nequit, quia qualitas non habet partes ſecundùm ſe,nam ſolum genus quantitatis habet partes propriè: Neque etiam ſecundum, quia intentio fit in eadem parte ſubiecti, V. G. eadem pars ligni fit calidior: non poſſunt autem eſſe in eadem parte ſubiecti plures qualitates, ſolo numero diſtinctæ, quales eſſent iſti calores: ergo intentio, neque fit per additionem gradus ad gradum eiuſdem qualitatis,nec per additionem nouę qualitatis ad prę exiſtentem: pręterea intenſio non fit per remotionem contrariæ qualitatis, quia cùm ſint quædam qualitates, non habentes contrarium,intenſio fit ſine huiuſ-

modi

modi remotione contrarij: nec tandem per corruptionem præexiſtentis, & aduentum perfectioris, quia nihil inuenitur, quod poſſit eam corrumpere. Ergo reſtat vt intenſio fiat per ſolam maiorem perfectionem, quam eadem qualitas, latitudinem formalem habens, acquirit in ſubiecto, quamque Thomiſtæ appellant *maiorem radicationem* in ſubiecto, vel nouum modum, quo eadem qualitas ſe habet ad ſubiectum, quod afficit: Et è contra Remiſſio. Sunt igitur quatuor in qualitate aduertenda, *Eſſentia*, *Exiſtentia*, *Vnio* qualitatis cum ſubiecto, & tandem *Modus maioris radicationis* in ſubiecto; qui modus diſtinguitur, tàm ab ipſa eſſentia qualitatis, & eius exiſtentia, quàm ab eius vnione, ſeu inhærentia illius. Nam eadem qualitas permanet vnita ſubiecto, ſine prædicto modo maioris, vel minoris radicationis. Modus igitur ille eſt perfectior vis informandi, & actuandi ſubiectum, quæ latè poteſt appellari *gradus*, aut pars virtualis, non formalis, qualitatis.

20. *Nonne etiam qualitates extenduntur?* Etiam, ſed earum extenſio poteſt intelligi dupliciter: *Primò* quantitatiuè, ideſt ratione maioris quantitatis; *Secundò* obiectiuè, ideſt ratione maioris obiecti ad quod habent ordinem, V. G. albedo, quæ eſt tantùm in vna parte ſubiecti dicitur fieri maior quantitatiuè, quando extenditur ad alias partes ſubiecti; & ſcientia dicitur maior obiectiuè, quando extenditur ad plura obiecta, ſeu ad plu-

plures veritates eiuſdem obiecti, quàm antea: *Prior* extenſio fit per additionem partis ad partem, quia licet qualitas ex ſe non habeat partes, habet tamen ratione quantitatis, cuius beneficio recipitur in ſubiecto extenſo: Non verò *poſterior*, ſed tantùm per modum aliquem maioris & maioris perfectionis, nam alias tot eſſent Phyſicæ V. G. quot obiecta partialia, quæ quis ſucceſſiuè acquireret in Phyſica, eſſentque ſcientiæ entia per accidens, ex pluribus compoſita, quod eſt abſurdum: Ergo, differt autem extenſio ab intenſione qualitatis, quod extenſio fit penes diuerſas partes, vel diuerſa obiecta; intenſio vero fit penes eandem partem, vel obiectum idem, quod quis melius percipit quàm alius.

21. *Quænam qualitates ſunt capaces Intenſionis, & Remiſſionis?* Qualitates primæ, & tertiæ ſpeciei; quia hæ ſolùm poſſunt perficere magis, vel minus ſubiectum, non verò aliæ: ratio eſt, quia habent cauſas variabiles magis, vel minus influentes: ſic albedo, vel calor magis, vel minus participatur, quia habet cauſam magis, vel minus influentem.

22 *Quænam qualitates poſſunt extendi?* Quantitatiuè extenduntur eæ, quę ſequuntur conditionem quantitatis: obiectiuè verò ſoli habitus; quia habitus ab extrinſeco ſpecificantur, ſcilicet ab obiectis, nam propter obiecta attingenda dantur habitus; obiecta autem non poſſunt totaliter ſtatim attingi, ſed paulatim, ergo etiam paulatim habitus creſ-

creſcunt. Tandem potentiæ talem habere extenſionem nequeunt, quia ab initio totaliter reſpiciunt obiectum ſuum: V. G. viſus omnes colores.

23. *Poſſuntne alia prædicamenta intendi & remitti?* Non, quia vt dictum eſt in logica, ſola qualitas ſuſcipit magis, & minus, cætera verò genera conſiſtunt in aliquo indiuiſibili, reſpectu eiuſdem ſubiecti, & partis eius.

De Condenſatione, & Rarefactione.

24. QVid vocat Ariſt. denſum? Eſt, quod ſub paruis dimenſionibus multum habet materiæ: è contra *rarum* eſt, quod ſub magnis dimenſionibus parùm habet materiæ.

25. *Quotupliciter ſumitur condenſatio, & rarefactio?* Dupliciter *Primò*, vt Actio, & Paſſio, nam videmus res cōdenſari & rare fieri, ergo ab aliquo condenſante, & rarefaciente. *Secundò*, vt mutatio, ſeu motus, qui terminatur ſecundùm Scotum ad nouam quantitatem; ſecundùm alios ad nouum *Vbi*; ſed in ſententia Thomiſtarum ad qualitatem formaliter, ſcilicet ad *denſitatem*, vel *raritatem*, quæ ſunt qualitates tertiæ ſpeciei, per ſe terminantes aliquem motum, non ſanè alium quam condenſationem, & rarefactionem: Ergo condenſatio, & rarefactio non terminatur ad quantitatem, aut vbi, ſed ad qualitatem. A raritate tamen, & denſitate
oriun-

oriuntur, tanquam effectus ſecundarij partium dilatatio, & compreſſio, ac ſubinde maioris, vel minoris Loci occupatio, abſque vlla quantitatis augmentatione, vel diminutione *entitatiuè*, ſed tantùm *explicatiuè*: & per hoc, condenſatio, & rarefactio eſſentialiter diſtinguuntur ab augmentatione, & diminutione, quæ ad quantitatem terminantur, illæ verò ad qualitatem.

De Actione, & Reactione.

26. *Simile poteſt ne agere in ſimile?* Non, quia agens intendit agendo aſſimilare ſibi paſſum, ergo ſi iam ſit ſimile, non poterit in illud agere. Præterea Agens debet eſſe in actu reſpectu paſſi, & paſſum in potentia; ſed ſimile reſpectu ſui ſimilis non eſt in potentia: ergo. Oportet igitur, vt ſit diſſimile in qualitate, vel in gradu eius; non tamen in denſitate, aut raritate.

27. *Virtus actiua Agentis debetne eſſe maior quam reſiſtentia Paſſi?* Debet eſſe maior, quàm reſiſtentia paſſiua, quia ſi paſſum æquè reſiſteret, ac Agens ageret, non fieret actio: ſed non neceſſariò exigitur, vt ſit maior, quàm reſiſtentia actiua.

28. *Quid eſt reſiſtentia paſſiua?* Eſt difficilis capacitas recipiendi actionem Agentis, & hæc debet ſuperari ab Agente: ideò dicitur quod Actio debet procedere à proportione maioris inæqualitatis, id eſt Agens debet habere maiorem virtutem, quàm paſſum.

29. *Quid*

29. *Quid eſt reſiſtentia actiua?* Eſt actio contraria, qua paſſum per qualitatem, quam habet contrariam qualitati Agentis, reagit in ipſum Agens, eiuſque actionem debilitat, & per hoc dicitur reſiſtere actiuè: quæ reſiſtentia, ſeu actio etiam ſi ſit virtute æqualis actioni Agentis, tamen abſolutè non impedit illam, quia reſiſtentia paſſiua minor eſt.

30. *Quomodo intelligitur dictum phyloſophi, quod* OMNE AGENS AGENDO REPATITVR? quia Agentia naturalia mutua actione in ſe agunt, & reagunt, vt quod ſecat habetatur, nix manum frigefacit, & manus calefacit niuem. Sed ad hoc requiruntur tres conditiones. *Prima*, vt agant actione corruptiua, ſic illuminans non obſcuratur, quia illuminatio non eſt actio corruptiua. *Secunda*, vt Agens, & paſſum communicent in materia tranſmutabili, ſic Cælum ab Elementis non repatitur. *Tertia*, vt vtrumque ſit intra Sphæram alterius, ſic aliquando ignis poterit agere in aquam, non tamen aqua in ignem propter nimiam diſtantiam, eo quod Sphæra actiuitatis aquæ, non ita extenditur, ac ignis.

31. *Ad quid neceſſaria eſt hæc mutua actio, & reactio?* Ad mixtionem Elementorum, quę conſurgit ex mutua miſcibilium alteratione: Ergo debent inuicem agere, & pati.

De Antiperiſtaſi.

32. QVid eſt *Antiperiſtaſis?* Eſt circumobſeſſio contrarij; quando vnum Agens

Agens contrarium obſidet aliud, puta frigus hyemis calorem naturalem, in ſtomacho exiſtentem; & ex illa circumobſeſſione vires quaſdam maiores habere videtur, & quodammodo intendi. Sic aquę puteales hyeme tepeſcunt, quæ ęſtate ſunt frigidæ; in media aeris regione, quæ frigida eſt, intenditur calor exhalationis, vſque dum igneſcit, (ad quod tamen non ſufficit circumobſeſſio contrarij, ſed præcipuè igneſcit per motum, qui eſt caloris cauſa.)

33. *Quomodo cauſatur hæc intenſio qualitatis in Antiperiſtaſi?* Duobus modis fit; *Primò*, quia contraria qualitas obſidens non ſinit euaporare aliam, eo quod pori clauduntur, V. G. frigus circunſtans, non ſinit euaporare calorem naturalem ſtomachi, vel partes calidas, quæ intra terræ viſcera gignuntur, & ita fit maior calor, vel ſaltem partes vniuntur, & fit fortior, quia virtus vnita fortior eſt ſe ipſa diuiſa. *Secundò*, quia qualitas obſeſſa refringitur ſupra ſe ad reſiſtendum contrario corrumpenti.

De Mixtione.

34. Q*Votupliciter ſumitur Mixtio?* Dupliciter, *Primò* latè, & impropriè pro confuſione multorum corporum nõ alteratorum, vt cum multa grana miſcentur. *Secundò* propriè pro vnione plurium ita alteratorum, vt ex eis vnum reſultet diſtinctum ſubſtantialiter ab ijs, ex quibus per mixtionem

uem conflatum eſt; & de hac, hic tantum ſit ſermo.

35. *Eſtne hæc poſſibilis?* Etiam, quia poſſunt, tum Elementa, tum alia corpora miſcibilia in vnum locum conuenire, & per qualitates ſuas contrarias ſe ſe mutuò peruadere, diuidere, & alterare, ita vt ſe ſe deſtruant mutuò, & cùm materia non poſſit manere ſine forma, ex illa miſcibilium deſtructione generabitur Mixtum, habens aliam formam à miſcibilibus: Quod maximè verùm eſt de Elementis, ex quibus cætera corpora compacta ſunt V. G. corpus humanum ex quatuor elementis coaleſcit; ergo ex eis vera mixtio facta eſt: Conueniunt autem Elementa in vnum locum ex virtute Cœli, cuius eſt mixta procreare, adhibitis tamen cauſis proximis.

36. *Poteſtne dari Mixtio etiam ex liquoribus?* Poteſt, quia poſſunt inuicem in ſe agere, & deſtruere ratione contrariarum qualitatum ſuarum, quas habent; niſi enim contrarias habeant qualitates, non fiet vera mixtio, ſed tantùm vnio per iuxta poſitionem.

37. *Quomodo ab Ariſtotele definitur Mixtio?* Sic: MIXTIO eſt miſcibilium alteratorum vnio. Sequentes conditiones requirit, *Prima*, eſt, vt miſcibilia ſint mutuò actiua, & paſſiua. *Secunda*, vt ſecundùm proprias entitates in vnum conueniat locum, aliàs non poſſent vniri. *Tertia*, vt ſe mutuò peruadant, ſe ſe diuidendo in partes minores minimis,

ſicque ſe corrumpant: infra enim minimum naturale non poteſt ſtare forma naturalis.

38. *Quomodo Elementa manent in mixtis.* Non remanent formaliter, id eſt ſecundùm ſuas formas ſubſtantiales; *Primò*, quia ſic non fieret vera mixtio, ſed confuſio: *Secundò*, quia qualitates Elemẽtorum ſunt in mixtis temperatę, in Elementis verò in ſummo: *Tertiò*, quia Mixtum eſſet aggregatum per accidens ſc. ex pluribus entibus in actu, cùm tamen Mixtum ſit perfectius Elemento, ſaltem viuens: nam V. G. corpus humanum haberet animam rationalem, & præterea quatuor formas Elementorum: quod eſt omninò abſurdum, quia ſic anima nihil aliud eſſet quam forma aſſiſtens, mouens particulas illas quatuor Elementorum, ex quibus corpus humanum eſſet coalitum, vt opinabatur Plato. Ergo impoſſibile eſt, Elementa manere formaliter: remanent igitur virtualiter tantùm, id eſt ſecundùm ſuas virtutes, & qualitates ad temperiem redactas. Quę temperies non ſic intelligitur, quaſi forma mixti contineat eminenter formas Elementorum, ſicut Anima rationalis cõtinet alias, vt aſſerit Scotus; nec quod in mixto ſit aliqua quinta qualitas, virtualiter continens quatuor qualitates Elementorum; vt aſſerunt quidam alij: ſed quòd reuera ſint Elementorum qualitates, non in ſummo, ſed temperatæ, prout exigit forma Mixti.

39. *Quomodo Mixtio diſtinguitur à generatione?* Non diſtinguitur quaſi adæquatè, quia

quia Mixtio eſt quædam Generatio; ſed diſtinguitur penes diuerſum modum tendēdi in terminum productum; nam Generatio dicit ſimpliciter tranſitum de vno in aliud; Mixtio verò dicit vnionem plurium, ex qua ſequitur fieri aliud.

FINIS lib. 1. de Ortu, & Interitu.

LIBER SECVNDVS

DE GENERATIONE, ET Corruptione Elementorum.

1. *Quomodo definitur Elementum, prout eſt alterabile, & Generabile?* Ab Ariſt. ſic definitur; ELEMENTVM eſt corpus, in quod alia corpora diuiduntur, intus exiſtens potentia, aut actu, ipſum autem eſt indiuiſibile in altera ſpecie. Et ratio eſt, quia cùm vnumquodque diuidatur in ſua componentia, dicuntur cætera reſolui in Elementa, quia Elementum omnia componit; & ex nullo componitur, ideò indiuiſibile eſt, id eſt non reſoluitur in alia, ſpecie diuerſa, vt Aqua diuiditur tantùm in Aquam.

2. *Quænam ſunt qualitates Elementorum?* Qualitates primæ Elementorum ſunt quatuor ſc. *Calor*, *Frigus*, *Siccitas*, & *Humiditas*,

quæ ipſis tanquam naturales proprietates debentur. Dicuntur primæ, quia non fiunt ex alijs, ſed aliæ ex ipſis, tùm in Elementis, tùm in mixtis: in Elementis, Leuitas fit ex calore, grauitas ex frigore; in Mixtis, Color, Durities, Molities &c. ex permixtione caloris, frigoris &c. reſultant.

3. *Quid eſt Calor?* Eſt qualitas ſenſibilis, cuius effectus primarius eſt Calefacere; ſecundarius congregare homogenea, id eſt ſimilia, & ſegregare Heterogenea, ſeu diſſimilia.

4. *Quid Frigus?* Eſt qualitas ſenſibilis cuius effectus primarius eſt frigefacere; ſecundarius congregare, tàm Homogenea, quàm Heterogenea. Regulariter loquendo, Calor eſt dilatatiuus, & frigus reſtrictiuum: oppoſitum tamen etiam fit, cum hac ratione, vt quæ Frigido concreſcunt, Calido ſoluantur: Et quæ Calido concreta ſunt, ſoluantur, & Frigido,

5. *Quid humiditas?* Eſt, cuius effectus primarius eſt humefacere, ſecundarius reddere rem difficile coarctabilem termino proprio, facile alieno.

6. *Quid Siccitas?* Eſt, cuius effectus primarius eſt exſicare, ſecundarius reddere rem difficile coarctabilem termino alieno, facile proprio. Sunt omnes actiuæ, & paſſiuæ, cum per illas Elementa agant, & reſiſtant.

7. *Quem ordinem habent actiuitatis, & reſiſtentiæ?* Maximè actiuus eſt Calor, deinde Frigus, tertiò Humiditas; vltimò Siccitas.

E contra

E contra maximè reſiſtit Siccitas, deinde Humiditas, tertiò Frigus, vltimò Calor. Hinc ignis maximè actiuus eſt parum autem reſiſtitiuus.

8. *Quot qualitates habere debent Elementa?* Duas tantùm: quia ſi haberent quatuor, vel tres, haberent contrarias; hoc autem non poteſt eſſe, niſi temperentur, quod eſt proprium mixtorum: In Elementis verò debent eſſe in ſummo: quia qualitates iſtæ debent eſſe in ſummo in aliquo corpore connaturaliter, atqui non in alio, quàm in Elementis: ergo debent eſſe in ſummo in Elementis, non temperatæ: Ergo Elementa non poſſunt habere quatuor, nec tres. Nec etiam debent habere vnam tantùm; quia ſic facillimè vnum deſtrueret aliud, nec poſſet fieri mixtio, quia inuicem non poſſent agere, & pati: Ergo neceſſe eſt, vt habeant duas, vnam, per quam agant præcipuè, & alteram, per quam reſiſtant, ſic ignis agit per Calorem, reſiſtit per ſiccitatem. Deinde Elementa non poſſunt eſſe omninò inter ſe Symbola, nec omninò Diſſymbola: Ergo debent habere duas qualitates, per quas Symboliſent, & Diſſymboliſent. Sicut ergo, quæuis connaturalis Temperies quatuor primarum qualitatum petit aliquod corpus mixtum, in quo connaturaliter ſit: ita quæuis connaturalis combinatio earundem quatuor qualitatum exigit aliquod corpus ſimplex, nempe Elementum, cui ſit connaturalis, & propria.

9. *Quomodo inde probatur quatuor tantum eſſe Elementa?* Quia poſſunt fieri quatuor tantùm combinationes dictarum qualitatum, nempe *Caloris*, *&* *Siccitatis*, *Caloris*, *&* *Humiditatis*; *Humiditatis*, *&* *Frigoris*; *Frigoris*, *&* *Siccitatis*. Prima combinatio competit Igni, ſecunda Aeri, tertia Aquæ, quarta Terræ.

10. *In quo gradu conueniunt iſtæ qualitates Elementis?* *Igni* conuenit, tàm Calor, quàm Siccitas in ſummo gradu; quia eſt maximè calefactiuus, & maximè Leuis: ergo debent eſſe maximè calidus; ſed maximè calidum, debet eſſe etiam maximè ſiccum, quia ſiccum; quia ſiccitas magis cognata eſt Calori, quàm Frigori, ſic videmus calida vt ſex magis ſicca eſſe, quam Frigida vt ſex, eo quod Calor in mixtis cauſat ſiccitatem per euaporationem humidi, frigus verò per ſpiſſationem humidi; euaporatio autem fortior eſt, quàm cōſtipatio: Ergo connaturaliter maiori Calori coniungitur maior ſiccitas: Ergo Igni debetur naturaliter ſiccitas in ſummo. *Aeri* conuenit tàm calor, quàm humiditas in remiſſo (excellenti tamen) *Aquæ* humiditas in ſummo, & frigus in remiſſo. *Terræ* tandem conuenit frigus in ſummo, & ſiccitas in remiſſo. Cuius ratio eſt, quia vni tantùm Elemento poſſunt qualitates Elementares in ſummo competere, eo quòd hæ qualitates in ſummo, ſunt proprietates Elementorum, proprietas autem vni tantùm competit; ſic, quia calor competit igni in ſummo,

ſummo, non poteſt Aeri competere niſi in remiſſo; & quia ignis eſt ſiccus in ſummo, Terra debet eſſe tantùm ſicca in remiſſo. Item Aqua eſt humidior, quàm Aer maxime enim humectat, ergo erit humida in ſummo, Aer vero in remiſſo: Tandem Aqua minus frigida eſt, quam Terra, cùm ipſa per frigus terræ poſſit fieri frigidior, V.G. cùm congelatur. Ergo terra erit frigida in ſummo,& Aqua in remiſſo. Hinc eſt,quod *Ignis* ſit ſummè Leuis, quia ſummè calidus:*Aer* leuis,quia calidus: *Aqua* grauis, quia frigida,*Terra* ſummè grauis, quia ſũmè frigida. Alia tamen eſt ſententia valdè probabilis, tribuens vnicuique Elemento vnam qualitatem in ſummo, & alteram in remiſſo: & ita *Ignis* eſt calidus in ſummo, & ſiccus in remiſſo: *Aer* eſt humidus in ſummo, & calidus in remiſſo: *Aqua* frigida in ſummo, & humida in remiſſo; *Terra* ſicca in ſummo, & frigida in remiſſo. Probabilior tamen prima videtur opinio. Sed reicienda omninò eſt ea, quæ facit Aerem frigidum in ſummo: Terram verò calidam in remiſſo: quia certum eſt ex Ariſt. Aerem ſymbolizare cum Igne: Ergo Aer non poteſt eſſe frigidus.

11. *Quænam ſunt Elementa Symbola, & diſſymbola?* Elementum *Symbolum* eſt, quod conuenit cum altero in aliqua qualitate, *Diſſymbolum*, quod in nulla conuenit. Ignis ſymboliſat cum Aere in calore,& cum Terra in ſiccitate,diſſymboliſat verò cum Aqua.

Aer Symboliſat cum Igne,& Aqua,Diſſymboliſat cum Terra : Aqua Symb. cum Aere, & Terra,Diſſymb.cum Igne. Terra tandem Symb. cum Aqua & Igne, & Diſſymb. cum Aere. Quod patet ex eorum ſituatione, nam Elementum, quod mediat, Symboliſat cum is,iuter quæ mediat,& Diſſymb.cum altero.

12. *Elementum eſtne generabile, & corruptibile?* Ponunt quidam Philoſophi Elementum incorruptibile,cum tamen ipſi corruptibilitatem Cęlis adſcribant, quod eſt omninò peruertere ordinem vniuerſi : ſi enim corpora ſuperiora alterabilia ſunt, multo magis inferiora, & non è contra : vera itaque ſententia eſt Cœlum eſſe ingenerabile, & inalterabile vt ſupra probatum eſt 2. *de Cœlo, num.* 5. Elementum verò reuerà alterabile,*Primò*, quia miſcibile, ex eo enim fit mixtum.*Secundò*,quia in Elementis reperiuntur qualitates actiuæ, & paſſiuæ, ergo poſſunt inuicem agere, & pati; fruſtra namque forent huiuſmodi qualitates in illis: *Tertiò*, quia corruptio fit ex contrarijs,atqui in Elementis ſunt qualitates contrariæ. Ergo, *Quartò*, quia ſi Elementum eſſet incorruptibile, nullum corpus mixtum eſſe corruptibile,quod abſurdum eſt. *Quintò* tãdem, experientia quotidiana etiam rudiores conuincit ignem generari,vbi prius non erat,& ſimiliter corrumpi.Ergo,Hinc Sphęra Elementorum vocatur Sphæra actiuorum, & paſſiuorum.Non tamen ſunt Elementa corruptibilia ſecundùm totum,quaſi integrum

Elemen-

Elementum in aliud tranſeat, ſic enim turbaretur ordo vniuerſi: ſed ſecundùm partes aliquas de facto corrumpuntur; ita vt, quod ex vna parte deperdunt ex alia reſarciunt; & in continua illa generatione, & corruptione Elementorum ad inuicem, non ſolum ipſa conſeruantur, ſed mixta omnia ex ipſis compacta, perſeueratque vniuerſum in eo ſtatu, in quo creatum eſt.

13. *Quomodo inuicem ſe generant Elementa?* Quodlibet poteſt ex alio, etiam Diſſymbolo immediatè generari V.G. Ignis ex Aqua: faciliùs tamen fit generatio ex Symbolo, in quo eſt tantùm vna qualitas introducenda; V.G. ex Aere fit Aqua, quando per frigiditatem deſtruitur calor Aeris, manet enim tunc frigus, & humiditas, quæ ſunt qualitates Aquæ. Item ex duobus Elementis Diſſymbolis ſe ſe mutuò corrumpentibus, poteſt generari aliud tertium ſpecie diſtinctum V. G. ex Terra, & Aere generatur Ignis, nam flãma noſtri ignis, nihil eſt aliud quàm fumus accenſus: fumus autem eſt ex Aere, & Terra. Non verò ex Symbolis: quia Symbola conueniunt in vna qualitate, ergo ex eis, non poteſt fieri tertium.

De Mixtis, & Temperamentum eorum.

14. QVid eſt Mixtum? Eſt corpus compoſitum ex quatuor Elementis, & quod in illa tandem reſoluitur. Duplex eſt: perfectum, quod remotius eſt ab Elementis, & pluribus corruptionibus indi-

get, vt in illa reſoluatur: Et imperfectum, quod immediatè reſoluitur. Vel perfectum, in quo Elementa non remanent actu; imperfectum, in quo ſecundùm ſubſtantiam, & formaliter ſunt, vt Nix, Nubes &c.

15. *Quomodo probatur ex quatuor Elementis conflari Mixtum?* Primò fit ex terra, quia vnumquodque naturam illius, in cuius loco ortum eſt, participare videtur: atqui mixtum fit in terra: Ergo. Ex Aqua verò, quia terminatione eget, aqua autem omnium optimè terminabilis eſt, prohibens Terram decidere, & eam ligans, ac figens: Quod ſi Terra, & Aqua affuerint, & Ignis, & Aer quoque erunt: quia Mixtum ex contrariorum temperamento naſcitur: ergo ex quatuor Elementis conflatur.

16. *Quid eſt Temperamentum mixtorum?* Eſt commenſuratio quatuor primarum qualitatum, debita formæ Mixti. Quare iuxtà diuerſitatem formarum Mixtorum, diuerſa reſultant temperamenta.

17. *Poteſtne dari aliquod temperamentum ita æquale, vt nulla qualitas aliam excedat, quod vocant temperamentum ad pondus?* Nequaquam, quia illud mixtum nullum ſibi locum vindicaret in vniuerſo, cum ęqualem haberet grauitatem, & Leuitatem. Deinde nõ eſſet corruptibile, quia corruptio accidit quando vna qualitas alteri prædominans incipit eam deſtruere: ſi enim ſint in æquali pondere nulla in aliam agere poterit: hoc autem eſt inconueniens: Ergo. Tandem in

homine

homine V. G. videmus plures partes diuerſi temperamenti, vt ſunt oſſa, nerui, caro &c. Ergo temperamentum hominis non poteſt eſſe vniforme,& æquale,ſed difforme ſecundùm exigentiam cuiuſque partis, vna enim calidior,alia humidior eſſe poſtulat: Cor calidius eſt, cerebrum frigidius &c.

18. *Quotuplex eſt temperamentum illud difforme?* Duplex ſc. ſimplex, quando prædominatur tantùm vna qualitas; & compoſitum, quando duæ prodominantur. Et hoc vltimum quadruplex eſt, nempe *Igneum*, *Aereum*, *Aqueum*, *& Terreum*: Igneum, quando prædominantur qualitates Ignis, & ſic de alijs. Igneum vocatur *cholericum*: Aereum, *Sanguineum* Aqueum, *Phlegmaticum*: tandem Terreſtre, *Melancholicum* dicitur. Sanguineum cum melancholica omnium optimum, tùm ad ingenium, tùm ad vitæ functiones: Phlegmaticum omnium peſſimum.

19. *Quomodo diuiditur Mixtum perfectum?* In animatum, & inanimatum:de primo agitur in libris de Anima: de altero in libris Meteororum, quia intra Terræ viſcera generatur, vnumque corpus cum ea efficere videtur, vt foſſilia.

FINIS lib. 2. de Generat., & corrupt.

TRACTATVS

DE METEORIS.

1. QVid eſt Meteorum? Eſt Mixtum imperfectum, natum fieri ex aliqua impreſſione, tum in Aere, tum in Aqua, tum etiam intra Terram. Quamuis enim nomen Meteori propriè intelligatur de impreſſione, quæ fit in ſublimi, id eſt in Aere, tam extenditur ad omnes alias.

2. *Quænam eſt materia omnium Meteororum?* Proxma, eſt Vapor, & Exhalatio: remota eſt, Aqua, & Terra, à quibus Vapor, & Exhalatio ſubſtantialiter non diſtinguuntur: quia *Vapor* eſt halitus quidam, ſeu ſpiratio humida ex Aqua orta, vi caloris Solis, ac Syderum eleuata: *Exhalatio* verò eſt halitus ſiccus, è terra eleuatus; quamquam ab extrinſeco, tam Vapor, quam exhalatio calorem habeant, ex quo redduntur leues, & aſcendunt.

3. *Quænam eſt Cauſa efficiens meteororum?* Eſt virtus Solis, ac Syderum, quæ primò eleuat, & diſponit materiam, Vaporem, & exhalationem, deinde quibuſdam impreſſionibus, & alterationibus in mixta imperfecta transformat: concurrunt nihilominus qualitates actiuæ Elementorum.

4. In

4. *In quonam Loco formantur?* Nunquam in Cœlo, in quo mixtio nulla, aut impreſſio alteratiua fieri poteſt; nec Vapor, aut exhalatio illuc aſcendere. Sic vana eſt quorundam recentiorum obſeruatio, qui Cometas ſupra Cœlum Lunæ vagare arbitrantur. In Sphæra Ignis nullum quoque gignitur Meteorum, quia ſi illuc aſcenderet materia, & ſtatim conſumeretur. Fiunt ergo in Aere, Aqua, & Terra.

5. *Quiſnam eſt finis, ob quem fiunt?* Eſt, vel terræ fertilitas, vel humanæ vitæ commoditas, vel ſignificatio, vel denique vniuerſi decor, & pulchritudo.

6. *Quænam Meteora fiunt in Aere?* Alia sũt ignita, alia lucida, alia humida. Ignita ſunt *Cometæ, Stellæ diſcurrentes, Capręſaltantes, Dracones volantes, Lanceę, Faces accenſę, Ignis perpendicularis, Ignis fatuus, Ignis Lambens, Caſtor, Pollux, Helena*, & tandem *Fulgura*, & *Fulmina*. Lucida verò ſunt. *Iris, Parelij, Virgæ, Corona, Vorago, Hiatus*. Tandem humida ſunt, *Nubes, Pluuiæ, Nebulæ, Nix, Grando, Glacies, Ros, Pruina, Mel, & Manna*. Præterea fit in Aere Meteorum aliquod, nempe Ventus, qui videtur eſſe Aer ipſe.

7. *Quid Cometa?* Eſt meteorum ignitum, cõſtans multa exhalatione pingui, & craſſa, partes benè compactas habente, in ſuprema Aeris regione apparens. Accenditur, tùm motu, & agitatione, tum vicinitate ad ignẽ. Durat quandiu cõtinua attractione exhalationum

tionum nutritur. Mouetur ad motum alicuius ſyderis, vi cuius formatus eſt, non tamen omninò regulariter, nec ſecundùm eandem ſpeciem motus localis. Significat, vt plurimùm terræ ſiccitatem, ſterilitatem, peſtes, mortes Principum. Tempus præcipuum, quo formatur eſt autumnus. Apparet, vel caudatus, vel crinitus, vel barbatus, ſecundum diuerſam diſpoſitionem materiæ, quæ rarior eſt in aliquibus partibus, & verſus aliquas partes magis protenditur. A crinibus, ſeu Coma nomen accepit.

8. *Quid Stellæ diſcurrentes?* Eodem ferè loco, & ex eadem materia, ſubtiliori tamen, ſunt; quæ ab vna extremitate ad aliam inflammatur, ideo videtur diſcurrere.

9. *Quid Capræ ſaltantes, Dracones volantes, Lanceæ, Faces?* Ignes ſunt, in media Aeris regione ex exhalatione accenſi, qui ſecundùm diuerſitatem materiæ, diuerſas habere figuras videntur.

10. *Quid Ignis perpendicularis, fatuus, Lambens, Caſtor, Pollux, & Helena?* Ignes ſunt, in infima Aeris regione ex exhalatione viſcoſa motu, aliquo accenſi. Si recta tendat deorſum dicitur perpendicularis; ſi huc, illucq; diſcurrat ad motum Aeris, vocatur fatuus; ſi hæreat capitibus, vel capillis hominum, & equorum, dicitur Lambens; ſi ſupra naues ſolus appareat, à Nautis appellatur Helena: ſi duplex, Caſtor, & Pollux.

11. *Quid Fulgur?* Eſt ignis ille apparens in medio nubium, ex quarum colliſione exhalatio

halatio incluſa accenditur.

12. *Quid Fulmen?* Eſt ipſamet exhalatio accenſa, quæ magno impetu vibratur, & extra nubem egreditur, mirabileſque producit effectus.

13. *Quid eſt Tonitrus?* Eſt ſonus ille ex nubium colliſione, ac fractione editus: colliduntur autem nubes, quando calidæ exhalationes intra nubem incluſæ, ob ſiſtentiam frigoris mediæ regionis reperiunt.

14. *Quid eſt Iris?* Eſt Arcus multicolor in nube rorida, partim diaphana, partim opaca, & concaua, ex repercuſſione radiorum Solis oppoſiti apparens.

15. *Quid Parelij?* Sunt nubes roridæ, & ſplendidę, quę ſimilitudinem Solis referunt, ad cuius latera apparent.

16. *Quid Virgæ?* Sunt radij ſolares, rectè per nubem tendentes.

17. *Quid Corona?* Eſt circulus quidam apparens in nube circa Solem, aut quodlibet aliud Aſtrum, pręſertim Lunam: cuius cauſa eſt æqualis diffuſio luminis ad extremitates nubis.

18. *Quid Vorago, & Hiatus?* Eſt color quidam nigreſcens propter opacitatem Nobis, lumen recipere non valentis, ad ſimilitudinem alicuius foueæ.

19. *Quid eſt Ventus?* Eſt exhalatio copioſa è terra progreſſa, quæ ab occurrente frigore repulſa, paulatim in obliquum retorquetur, & cum impetu per aerem ruit. Non igitur Ventus eſt Aer, ſed exhalatio commonens

aerem,

aerem. Quatuor ſunt Venti præcipui, ſeu Cardinales: Subſolanus ab Oriente: Sephyrus ab Occidente: Auſter à Meridie: Boreas à Septentrione ſpirat; à Nautis vocantur *Eſt*, *Oueſt*, *Sud*, *Nord.* Si inſolito, & quaſi circumuolendo ſpiret Ventus, vocatur *Turbo*, ſeu procella.

20. *Quomoda Formantur Nubes?* Nubium materia, ſicut, & cæterorum Meteororum humidorum, eſt Vapor, qui ſi ad mediã aeris regionem vi caloris Solis ſit euectus, ibi frigore conſtipatur, ſuſpenſuſq, manet, & tunc vocatur *Nubes*: ſi Calore ſoluatur Nube, frigore parũ addenſate, fit *Pluuia:* ſi Calor adſit ſine frigore, vel frigus ſine Calore, diſſipatur Vapor: ſi aqua illa reſoluta ex nube in ipſamet media aeris regione frigore cõgeletur, molliter tamen propter admixtionum exhalationum calidarum, fit *Nix:* ſi ingente frigore congeletur prope infimam aeris regionem, fit *Grando.* Si non ſit ita ſpiſſus Vapor, ſed exiguus, & ſubtilis, à frigore noctis ſerenæ addenſatur; & dedicit in folia, & herbas, vocaturque *Ros:* ſi verò frigus ſit intenſum. congelatur Vapor, & fit *Pruina.* Si admixtas habeat partes terreſtres, & humidum aereum, pingueſcit nocte, & fit ſuccus prædulcis, qui vocatur *Mel*, colligiturque ab Apibus, & expurgatur. Tandem, ſi humor valde decoquatur, maneantque partes terreſtres cum exiguo humore aereo, fit *Manna.*

21. *Quænam impreſſiones fiunt in Aquis?* Præcipuæ ſunt, motus, quo mare fluit, & refluit,

fluit, motus,quo ſcaturiunt fontes,& flumina, ſalſedo Maris, ac qualitates quarundam aquarum.

22. *Quęnam eſt Cauſa æſtus marini, huiuſque portenti naturalis, quo regulariter Mare ſex horis fluit, & ſex refluit, perpetuaq; agitatione mouetur?* Lunam hunc excitare motum probabiliùs cenſetur, tùm quia, corporibus humidis, quale eſt Mare, dominari debet: tùm maximè, quia æſtus Maris ſequitur Lunæ curſum, quàm regulariſſimè, nam Oriente Luna ſupra Horiſontem, Mare Fluit, refluit verò, cùm peruenit Luna ad circulum meridianum; ipſa Occidente fluit, & refluit, cum peruenit ad punctum oppoſitum Meridiano. Et quemadmodum tardius tribus quadrantibus quotidie Luna oritur, ita, & tardius Mare fluit. Regulariter inquam loquendo: nam propter varias Terræ ſinuoſitates, aliaſque occultas cauſas, fit in diuerſis locis variatio maxima æſtus marini, qui vix ſētitur in Mari Mediterraneo, in Oceano verò, tātopere tumeſcit: In Eurippo ſpatio 24. horarum, ſepties fit. In quibuſdam quoque Lacubus, & fontibus, ſentitur æſtus reciprocatio, propter communicationem ad Mare per venas terræ occultas.

23. *Vnde præcipuè habent originem fontes, & flumina?* *Primò*, ex aquarum abundantia in terrę cauernis relictarum, quando Deus terram aquis diſcooperuit. *Secundò*, ex cōtinua ſubminiſtratione aquę Maris per venas Terræ, vt ſic perpetua circulatione, *Vnde exeunt flumina*

flumina reuertantur, vt iterum fluant, vt dicitur *Eccl.* 1. *Tertiò*, ex Aqua generata ex Aere in locis cauernoſis terræ. *Quartò*, ex pluuijs, niuiumque reſolutione ſcaturiunt fontes, præcipuè in montibus, ex quibus deinde fiunt Torrentes, & flumina, ad Mare, vt ad centrum perenni motu decurrentia.

24. *Quænam eſt cauſa ſalſedinis Maris?* Quidam aſſignant, inter quos Ariſt. copiam exhalationum ſiccarum è fundo ad ſuperficiem, vi ſolis eleuatarum: ſed non videtur hoc ſufficere, multæ namque ſunt in Aere exhalationes, & tamen pluuia ſalſa non eſt: Probabilius exiſtimandum eſt, Mare ſalſedinem habere ex impreſſione ſui Creatoris; nulla enim eſt cauſa creata, quæ poſſit totum alterare Elementum, V.G. quòd Terra non ſit perfectè Sphærica, ſed montibus, & vallibus ſit diſtincta; quòd Aquæ ſint congregatę in vnum locum, non poteſt afferri cauſa aliqua ex parte ipſius Elementi, aut alicuius agentis creati; ſed ſola Cauſa eſt ſupremus Cõditor ob bonum vniuerſi, & pręcipuè ob hominum commoditatem; ita de Maris ſalſedine idem dicendum eſt.

25. *Quaſnam qualitates habent Aquæ?* De ſe nullũ petunt habere ſaporem, quia ſapor propriè tãtum in mixtis reperitur; plurimæ tamen Aquæ ſaporoſæ ſunt, quia decurrunt per venas terræ à quibus qualitates iſtas peregrinas participant. Aliæ caleſcunt ad feruorem vſque, quod accidit ex ignibus ſubterraneis, aquas proximè decurrẽtes ſemper

cale-

calefacientibus: Aliȩ ſalſendam habent,quia è Mari immediatè procedunt, nec eliquãtur tranſeundo per terræ venas, ſicut aliæ, quæ dulces ſunt. Aliæ denique ſunt mirabilibus, ſalutiferiſq; qualitatibus prȩditæ,tùm ex diuerſa Cœlorum influentia,tùm ex proximis Naturæ cauſis, quas, ignorant Mortales.

26. *Quænam Meteora, & impreſſiones ſunt in Terra?* primò occurrunt *Ignes ſubterranei*, quos ex Sulphure, & bitumine, aliaq; combuſtibili materia intra terram genita accendit Natura, vt Terram quodãmodo foueret ad productionem,tùm Mineraliũ,tùm plantarum. Secundò *Terræ motus*, qui ab aliquo halitu ſicco,& calido intra Terrȩ viſcera incluſo, & erumpere conante, cauſatur. Tandem in terra producuntur Metalla omnia,& foſſilia,quæ non ſunt mixta imperfecta ſicut Meteora, habent enim aliam formam ſubſtantialem ab Elementis;ſed dicuntur mixta inanimata; Metalla ſunt Mineralia ex terra extracta, indigentque expurgari: Foſſilia verò ſunt, quæ fodiuntur ex terra, vbi nata ſunt,ſed quæ expurgari non indigent, vt lapides: Mineralia pura, ſunt, quæ nondum peruenerunt ad perfectionem Metalli, vt Sulphur, Arſenicum &c. Metallorum ſeptem ſunt ſpecies, Aurum, Argentum, Ferrum, Æs, Stannum, Plumbum, & Argentum Viuum. Lapidum, alij pretioſi, alij vulgares; de quibus omnibus fusè differunt Albert. Mag. *lib. 2. Mineral. tract. 2.* Plinius, Vincentius Bellouacenſis *in ſpeculo naturali.*

FINIS tractatus de meteoris.

LIBER PRIMVS

DE ANIMA.

De Anima in communi.

1. QVid eſt anima? Secundùm Empedoclem eſt, Harmonia id eſt proportio, & conuenientia quædam contrariorum, corpus viuens componentium: ſecundùm Galenum, eſt naturalis complexio, ſeu temperamentum primarum qualitatum: ſecundùm Xenocratem, ignis quidam: ſecundùm Heraclitum, Vapor; ſecundùm Diogenem, corpus ſubtiliſſimum, ſicut Aer mouens res animatas ſecundùm Thaletem, quidam humor ſparſus per totum corpus, quod humidum radicale nominamus: ſecundùm Critiam eſt, ſanguis iuxta Democritum, eſt quid concurſu fortuito conflatum ex corpuſculis inſectilibus, & rotundis, quæ perenni motu agitantur, cauſantque motum viuentium. Iuxta Platonem eſt numerus quidam, ſeu circulus, quia dicebat eſſentias rerum eſſe numeros, ita vt, prima vnitas intellectum faciat, prima duitas, ſcientiam; prima trinitas, opinionem; prima quaternitas ſenſum, quia verò anima ex intellectu, ſcientia, opinione, & ſenſu, conſtat, ideò numerum horum omnium Animam

mam eſſe dicebat. Secundùm Philoſophum, & reuerà, eſt forma viuentis, ideo ſic definitur ANIMA EST ACTVS CORPORIS PHYSICI, ORGANICI, POTENTIA VITAM HABENTIS. Dicitur *actus Corporis Phyſici*, quia eſt forma Phyſica, & naturalis, id eſt principium naturalium operationum: dicitur *organici*, quia Anima non exercet ſuas operationes, niſi per varia Organa id eſt membra, & partes corporis, diuerſimodè fabricatas: Tandem additur *Potentia vitam habentis*, quia organiſatio corporis debet proximè diſponere ad functiones vitales, quæ eleuatæ ſunt ſupra naturam purè corporalem. Præterea ſic definitur: *Anima eſt, id quo primò viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus*: id eſt primum, & radicale principium viuendi, ſentiendi &c. Vtraq; definitio eſt eſſentialis, & prima per ſecundam demonſtratur: quia primum principium viuendi, neceſſariò eſt actus, ſeu forma viuentis, vnumquodque enim habet eſſe per formam ſuam. Et hoc excluduntur opiniones Antiquorũ, quorũ alij, ponebant Animam aliquod accidẽs, alij quoddam corpus; non enim poteſt eſſe accidens, cum ſit actus ſubſtantialis: neque aliquod corpus nõ poteſt eſſe primum vitæ principium, nec in quantũ corpus, aliàs omnia corpora viuerẽt; nec in quantum tale corpus, quia non poteſt eſſe tale, niſi per aliquid, & ſic anima non eſſet primum vitæ principium: Ergo non eſt corpus, ſed corporis actus, & forma.

2.

2. *Anima rationalis eſtne etiam propriè, & in rigore actus corporis Phyſici, &c.?* Etiã, quia verè dat eſſe naturale, & Phyſicum homini: ergo debet eſſe forma eius: quod definitũ eſt in Conc. Viennenſi ſub Clẽ. V. Itaque, licet Anima rationalis ſit per ſe ſubſiſtens, & ſpiritualis vt *quod*, id eſt ſecũdùm ſuam entitatẽ, eſt tamẽ corporalis vt *quo*; quia eſt id, quo cõſtituitur homo, qui corporeus eſt, ergo eſt verè forma eius, tribuens illi omnes gradus.

3. *Quotuplex eſt Anima?* Triplex, ſc. *Vegetatiua, Senſitiua & Rationalis*: Quia ſunt tres gradus Vitæ ſc. Viuere ſine ſenſu, Viuere cum ſenſu, ſed ſine ratione, & Viuere cũ ſenſu, & ratione. Deinde ſunt tres operationes, excedentes operationem rei inanimatæ, prima eſt, operari abſque organo corporeo, vt intelligere, & Velle; ſecunda, operari cum organo corporeo, ſed beneficio quarundam qualitatum ſubtiliſſimarum ſc. ſpecierum intentionalium, quæ plurimùm à materia eleuatæ ſunt, vt ſentire, videre, &c. Tertia tandẽ eſt quantum ad executionem motus, id eſt quodammodo ſe mouere ab intrinſeco, vt Vegetare: Ergo debent eſſe tria eorum operationum principia, nempe tres Animæ.

4. *Quid eſt Viuere?* Eſt ſe mouere, ſeu habere principium intrinſecum, & radicale ſe mouendi: Inanimata enim ab Animatis diſtinguimus, quia non illa ſe mouent, ſed ab extrinſeco mouentur.

5. *Superior Anima continentne inferiorem?* Continet, non ſolùm virtualiter, ſed etiam for-

formaliter: quia Anima rationalis V.G. facit hominem eſſe formaliter vegetatiuum, & ſenſitiuum, ergo ipſa debet eſſe formaliter vegetatiua, & ſenſitiua, ſeu continere gradum formalem vegetandi, & ſentiendi; ideo enim anima bruti eſt formaliter ſenſitiua, quia facit brutum eſſe formaliter ſentiens, atqui anima humana idem præſtat: Ergo. Et eodem modo ratiocinandum eſt de Anima ſenſitiua, reſpectu vegetatiuæ.

6. *Continetne etiam eminenter?* Ita eſt, quia cõtinere eminentur formaliter, eſt cõtinere illud, & aliquid amplius, ſeu continere ſine limitatione ad talem gradum; ſic Anima rationalis continet gradum ſenſitiuum, abſque limitatione ad ſenſum, ſicut anima bruti.

7. *Quot ſunt modi Viuendi?* Quatuor ſc. *Vegetatiuus, Senſitiuus, locomotiuus, & Intellectiuus;* quia illi modi viuendi ſunt diſtincti, qui poſſunt ſeparatim inueniri ab alio, nempe imperfectior à ſuperiori, & perfectiori, licet, non è contra: Atqui inuenitur Vegetatiuum ſine ſenſitiuo, vt in plãta ſenſitiuũ ſine loco motiuo, vt in oſtrea, locomotiuum ſine intellectiuo, vt in bruto: Ergo ſunt quatuor diſtincti modi viuendi. Ratio eſt, quia Anima ſenſitiua duplicem tribuit, eo quod alia eſt perfecta, alia eſt imperfecta: perfecta tribuit locomotiuum; quia apprehendit res diſtantes, quas neceſſe eſt, vt ſe localiter moueant, imperfecta autem ſenſitiua, non apprehendit res diſtantes, ergo nõ indiget locomotiuo: ergo ſenſitiua duplicẽ modum

dum viuendi continet, ſuntque quatuor.

8. *Habetne Anima potentias à ſe diſtinctas?* Maximè, quia Anima eſt quidem principium radicale operandi, ſed non proximum, eo quod nulla ſubſtantia creata eſt per ſe, & immediatè operatiua, vt probatum eſt *lib.* 2. *Phyſ. num.* 34. ergo, vt ſit proximè operatiua requirit quaſdam virtutes, & facultates, quæ ſunt perfectiones eius accidentales, in ordine ad operationem: atqui accidentia rei realiter à rei eſſentia diſtinguuntur: Ergo potentiæ Animæ ab ipſa ſunt diſtinctæ: non tanquam accidentia communia, ſed tanquam proprietates ab eſſentia. Sola igitur diuina potentia eſt Dei eſſentia, ideo Deus numquam eſt in potentia operans, ſed in actu; Anima verò aliquando eſt in potentia operans; quod nullomodo poſſet eſſe, ſi ipſa Animæ eſſentia eſſet eius operandi potentia, quia Anima eſſentialiter eſt actus, & nihil poteſt eſſe in potentia ad aliquid ſecundum actum, in quantum eſt actus; ſemper ergo Anima eſſet actu operans; quod eſt omnino falſum.

9. *Suntne plures potentię Animæ?* Maximè, quia, vt dicit Phil. 2. *de Cœlo*. Quę ſunt infima in rebus, non poſſunt cõſequi perfectam bonitatem, ſed aliqualem tantùm paucis motibus; his ſuperiora perfectam bonitatem quidem aſſequuntur, ſed pluribus motibus; his ſuperiora paucis motibus; & tandem quod ſupremum eſt perfectam bonitatem habet abſque motu. Ideò, quę ſunt inferiora viuen-

te

te aliqua bona particularia tantùm habet, & ſic nõ indigent pluribus operationibus: Viuentia verò perfectã bonitatẽ habent, pręcipuè homo, qui poteſt conſequi beatitudinẽ. Sed quia eſt in infimo gradu, pluribus operationibus, & virtutibus indiget, Angelus minus indiget, Deus verò nullã habet aliam operationẽ, & potentiã pręter eſſentiã ſuam.

10. *Quot ſunt potẽtię Animę in genere:* Quinque ſunt, ſc. Vegetatiua, ſenſitiua, Intellectiua, Appetitiua, & Locomotiua. Quia cùm potentię, & facultates ordinentur ad actus, id eſt à natura tribuantur, vt per eas actus producantur, habent ab eis ſuã ſpecificationẽ, & diſtinctione, & ita, tot erunt genera potẽtiarum, quot genera actuũ, & operationũ: atqui ſunt quinq; genera actuum; quia actus verſãtur circa obiecta, à quibus ſuam quoque ſpecificationem habent, & diſtinctionem; ſunt autem quinq; genera obiectorum, circa quæ verſantur potentię, & operatiõnes vitales. Nam, vel illud obiectum eſt coniunctum ſimpliciter tranſmutabile à potentia, & conuertibile in ſubſtantiam viuentis, & ad hoc ordinatur potentia Vegetatiua: vel eſt ſeparatum, attingibile tamen à potentia per cognitionem; vel igitur eſt cognoſcibile ſingulariter, & ſeſibile, & ad hoc ordinatur potentia ſenſitiua: vel eſt cognoſcibile vniuerſaliter, & ad hoc eſt potentia intellectiua: vel apprehenditur illud obiectum ſub ratione boni, & ad hoc eſt potentia appetitiua, bonum enim eſt, quod omnia appetunt: Tandem

dem illud obiectum apprehẽſum, vt bonum, eſt aliquando abſens, & ad hoc conſequendũ ordinatur potentia locomotiua: Nullum autem eſt aliud obiectum, circa quod verſetur vitalis operatio: Ergo ſunt tantum quinque, & conſequenter quinque genera actum, & potentiarum Animæ, quæ deinde in plures ſpecies diuiduntur; vt genus potentiæ Vegetatiuæ, in nutritiuam, augmẽtatiuam, &c.

11. *Vbi nam ſubiectantur Animæ potentiæ?* Organicæ immediatè ſubiectantur in toto compoſito, quia neque materia ſola, neque forma poteſt illas habere V.G. potentia viſiua non poteſt eſſe in corpore, ſine Anima, neq; exerceri ab anima, ſine corpore, dicuntur enim organicæ, quia ſunt affixæ alicui organo corporali: Ergo neceſſariò debent eſſe in toto compoſito. Non organicæ verò, nempè ſolus intellectus, & voluntas, ſubiectantur in ſola Anima rationali, cùm ipſa ſeparata à corpore eaſdem retineat.

12. *Suntne plures Animæ in quolibet viuẽte?* Vnica tantùm poteſt adeſſe, tùm ob generalem rationem, quòd vna materia non poteſt habere niſi vnam formam ſubſtantialem, qualis eſt Anima: tùm ob ſpecialem rationem, quia Anima debet informare materiam diuerſimode fabricatam, & organizatam, eſt enim actus corporis organici: Ergo licet corpus viuẽs habeat plures, & heterogeneas partes, ab eadem tamen Anima informãtur, à qua, & omnes gradus profluunt: vt ab Anima rationali gradus corporis, viuentis, &c.

13. *San-*

13. *Sanguis ac cæteri humores informanturne forma totius?* Etiam; quia illud omne, quod pertinet ad veritatem, & integritatem alicuius naturæ corporalis, debet habere eandē formam ſubſtantialem, alias compoſitum illud eſſet per accidens: atqui ſanguis, & reliqui humores pertinēt ad veritatem, & integritatem corporis animalis; *Primò*, quia quatuor humores ſcilicet ſāguis, pituita, bilis, & melancholia, in animali ſunt veluti quatuor Elementa vniuerſi integritatem componētia: *Secundò*, quia de fide eſt ſanguinem fuiſſe aſſumptum à Verbo diuino in incarnatione, quia per illud redempti ſumus, & ſanguis noſter in generali reſurrectione cum corpore noſtro reſurget; & eadem eſt ratio de alijs humoribus: Ergo reuera ſunt partes conſtituentes naturam hominis: Ergo eius Anima debent informari: Ergo ſanguis viuere debet, vita inquam vegetatiua tantùm, nō ſenſitiua: quæ vita maximè cernitur in diuerſis eius motibus vitalibus. Sed diſtinguendus eſt Sanguis nutrimentalis à naturali; primus eſt humor nondum perfectè decoctus, quo nutriuntur partes corporis. Naturalis verò eſt perfectè decoctus, & tranſmutatus ex alimenti natura in veram partem corporis; ita quòd in prima generatione nullus eſt ſanguis nutrimentalis, ſed ſolùm naturalis, ſicut, & in vltima reſurrectione; non enim indigebit tunc homo alimento, & tamen ſanguinem, cæteroſque humores habebit.

14. *Dentes, Capilli, & Vngues viuuntne etiā?*

quamquam non ſint partes corporis præcipuæ, ſunt tamen veræ partes alijs deſeruientes, tùm ad protectionem, tùm ad ornatum; Ideo viuunt, ſicut ſanguis, ſuguntque alimentum interius, quo nutriuntur.

15. *Semen, & Lac habentne Vitam?* Non, quia non pertinent ad integritatem Indiuidui in quo ſunt, ſed ad generationem alterius, vel nutritionem.

16. *Eſtne omnis Anima diuiſibilis?* Anima plantarum, & imperfectorum animalium eſt diuiſibilis: ſenſu enim apparet præciſum ab arbore ramum vitam retinere; partes quoq; vermium, ſerpentum &c. præciſas aliquandiu viuere, & moueri vero motu vitali. Ratio huius eſt, quia huiuſmodi Animæ, cùm valde accedant ad imperfectionem formarũ inanimatorum, non requirunt tantam multitudinem organorũ, quin in partibus præciſis ſufficiens inueniatur diſpoſitio ad Animam habendam, ſaltem pro aliquo tempore: ergo quando pars illa ſeparabitur, poterit Anima remanere, & conſequenter de facto diuidetur ſicut materia eius. Animæ verò perfectorum animalium ſunt indiuiſibiles; quia ob perfectionem ſuam, talem requirunt organorum diſpoſitionem, & numerum, vt nunquam ſufficientem in partibus præciſis reperire poſſint: Ergo non poterunt diuidi ad diuiſionem materiæ: quod vocatur informare indiuiſibiliter, id eſt abſq; vlla diuiſione diſpoſitionũ Totius. Quamuis ergo Animæ brutorũ ſint corporales, quia ſunt actus

cor-

corporum, ſunt tamen indiuiſibiles in informandi modò; (& multò magis Anima rationalis indiuiſibilis, eſt quæ eſt ſpiritualis:) fruſtra namq; forent diuiſibiles, ſi nunquam diuiſam materiam informarens, vt de facto nunquam informant. Dicendum eſt ergo, animas perfectorum animalium eſſe non ſolùm totas in toto, ſed etiam totas in qualibet parte; non quidem *totalitate quantitatiuæ*, quam non habent; neq; etiam *totalitate virtutis*, quia in diuerſis partibus diuerſas virtutes habent; ſed *totalitate perfectionis, & eſſentiæ*. Idem iudicium de Anima rationali.

De Anima Vegetatiua.

17. QVid eſt *Anima vegetatiua?* Eſt principium radicale vegetandi. Vegetare autem eſt ſe mouere agendo in alimentum, quod eſt corpus aliquod coniunctum, tranſmutabile à facultate vegetatiua.

18. *Quotuplex eſt potentia Animæ Vegetatiuæ?* Triplex ſc. Nutritiua, Augmẽtatiua, & Generatiua, triplici operationi correſpondens, qua viuens indiget. Nam in hoc excedit viuens rem inanimatam, quod viuens potentiam habeat intrinſecam ſe conſeruandi, conſeruatur autem dupliciter, in Indiuiduo, & in ſpecie: In indiuiduo conſeruatur per nutritionem, conuertendo alimẽtum in propriam ſubſtãtiam. In ſpecie conſeruatur per generationem, transfundendo virtutem actiuam parti cuidam alimenti, quæ ſemen

appellatur ad producẽdum ſibi ſimile in ſpecie: Non poteſt autem, nec in indiuiduo, nec in ſpecie ſe cõſeruare, niſi acquirendo debitum ſtatum, & perfectionem neceſſariam ad operationes ſuas exercendas: ergo requiritur alia operatio, quę vocatur augmentatio: ergo tres ſunt operationes Animæ vegetatiuæ, treſque facultates ipſis correſpondentes.

19. *Conueniuntne tres illæ operationes omni Vegetanti?* Nutritio conuenit omni, ſoli, & ſemper: Augmentatio omni, & ſoli, ſed non ſemper: Generatio ſoli conuenit, ſed non omni, neq; ſemper. Nutritio conuenit *omni Vegetanti*, quia obiectum facultatis vegetatiuę eſt alimentum ab ipſa tranſmutabile, prima autem, & maximè neceſſaria alimenti tranſmutatio eſt, quæ fit in ſubſtantiam viuentis ad reparãda damna ſubſtantiæ viuentis, illata à calore naturali humidum depaſcente: Ergo omni Vegetanti conuenit Nutritio, qua fit huiuſmodi conuerſio alimenti in ſubſtantiam aliti. Conuenit tamen *ſoli Vegetanti*: quia inanimata non ſumunt propriè alimentum ad illud conuertendum in propriã ſubſtantiam. Primò, quia non indigent alimento, nulla enim fit deperditio ſubſtantiæ inanimatæ, quæ per aduentitiam debeat reparari, nulla inquam fit ab intrinſeco, licet ab extrinſeco fieri poſſit: Ergo inanimata non debent alimentum ſumere. Secundò, quia nulla ad hanc operationem habent organa diſpoſita, ſicut viuentia. Tertiò, quia per nutritionem debet alimẽtum peruenire

ad

ad omnes partes minimas viuentis, quod non ſit in inanimatis, quia cum ignis conuertit lignum in ſe, nō permeat nouus ignis omnes partes præcedentis, ſed tantum fit iuxta poſitio: Et tandem, etiam ſi perueniret ad omnes partes, hoc eſſet per accidens, quia æquè fit conuerſio ligni per vltimas partes ignis, ac per interiores. In liquoribus verò, & miſcibilibus omnibus fit quidem iſta permeatio, ſed, vel ambo deſtruũtur, vel ſaltem, ſi vnum conuertat alterum in ſe, vt cum vinum conuertit aquam, debilitatur, & eſt in ſtatu corruptionis; viuens autem per nutritionem debet melius ſe habere: Ergo vera, & propria nutritio rebus inanimatis cōuenire nequit. Conuenit tandem nutritio *ſemper*, id eſt toto tempore vitæ, quia ſemper calor naturalis agit, & alterat partes viuētis, ergo ſemper reparari debent per nutritionē. *Augmentatio omni Vegetanti conuenit:* quia nullũ vegetans habet ſtatum ſuum perfectũ, in quo poſſit exercere omnes ſuas operationes, & perfectè ſe tueri ab extraneis corrumpentibus: ergo per augmentationem debet illum habere: ergo omne vegetans debet augeri: *ſolum* quoque *vegetans augetur* propriè, quia augmentatio ſupponit nutritionem, quæ illi deſeruit præparando alimentum, & quæ in ſolis viuentibus reperitur: Ergo. Sed *non ſemper augetur*, quia acquiſito perfecto ſtatu, inutilis foret augmentatio, ergo tunc ceſſare debet: deinde non poteſt ſemper fieri, quia calor naturalis agendo in ali-

mentum quodammodo repatitur, & ſic paulatim debilitatur ita, vt in initio plus cõuertat alimenti in ſubſtantiam viuentis, quàm ex eadem ſubſtantia deperdatur, & vocatur tempus augmenti: deinde tantùm reparat quantum ſolummodo deperditur, & vocatur tempus ſtatus; tandem minus reparat quam deperdatur, vocatur tempus decrementi. *Generatio* (à principio vitæ coniuncto) *ſoli viuenti competit*, vt patet, ſed *non omni*, quia ſunt quædam viuentia ita imperfecta, vt nunquam fiant à ſuo ſimili, ſed ex putri materia per virtutem cæleſtem: nec *ſemper competit*, quia non generat niſi in ſtatu perfecto.

20. *Quomodo Nutritio diſtinguitur ab augmentatione?* Nutritio ſumitur dupliciter, nẽpe, vt *Actio nutriendi*, & vt *mutatio*, ſeu tranſitus materiæ alimenti in ſubſtantiam aliti: augmentatio ſimpliciter ſumitur, vt *Actio augendi*, & vt *mutatio* ad quantitatem terminata, id eſt, vt acquiſitio quantitatis: primo modo Nutritio eſt vera alteratio, quæ ad qualitatem terminatur, ergo diſtinguitur ab augmentatione, quæ terminatur ad quãtitatem. Deinde hæ duæ actiones ſunt in diuerſis ſubiectis, nam nutritio, vt *actio*, ſubiectatur in alimento corrumpendo; vt *mutatio* ſubiectatur in materia prima, quia nutritio eſt quædam aggeneratio, id eſt partialis generatio, & tranſitus ſubſtantiæ in ſubſtantiam. Augmentatio verò tam, vt *actio* quàm, vt *mutatio* ſubiectatur in toto compoſito, quod augetur, quia ei ſuum effectum formale tribuit.

buit. Tertiò Nutritio, vt mutatio, eſt ſubſtantialis;augmentatio verò non eſt niſi mutatio accidentalis,quia eſt verus motus Phyſicus à quantitate minori ad maiorem.

21. *Quomodo diſtinguitur à generatione?* In hoc quod operatio nutritiuæ eſt circa alimentum in ſubſtantiam aliti conuertendum: operatio verò generatiuæ eſt circa alimentum elaborandum in ſemen, quæ elaboratio fit per impreſſionem virtutis cuiuſdam in illud corpuſculum, quod deinde tranſmiſſum, & deciſum à viuente per virtutem illam, ſibi impreſſam agit in materiam, & transformat illam in ſimilitudinem viuentis, à quo deciſum eſt: habent ergo hæ duæ operationes terminos diſtinctos, nam per nutritionem reparatur tantùm pars deperdita viuentis, per generationem verò formatur totum aliud viuens.

22. *Manetne idem viuens toto tempore, quo nutritur, & augetur?* Maximè *primò*, quia Nutritio, & Augmẽtatio nõ deſtinantur ad deſtructionem, ſed ad conſeruationem indiuidui, ergo debet idem remanere; *Secundò*, quia diſtinguuntur ſpecie à generatiene, & corruptione ſubſtantiali,in quibus non manet idem: Ergo. Quamuis igitur deperdãtur aliquæ particulæ, & nouæ adueniant, quia tamen nouæ illæ ſuccedunt in locum aliarum,fiunt formaliter eædem,quę perierunt, licet materialiter ſint diuerſę. Diſtinguendæ ergo ſunt partes materiæ materialiter ſumptæ, & formaliter: quia pars materiali-

ter ſumpta eſt pars materiæ abſque vllo ordine ad tale temperamentum, talem figuram, diſpoſitionem, & abſque habitudine ad alias, aut ad formam ſubſtantialem, & huiuſmodi partes poſſunt recedere, & accedere abſque hoc, quod mutetur ſubſtantialiter Indiuiduatio viuentis: Pars verò formaliter ſumpta eſt cum tali ordine ad alias, cum habitudine ad tale temperamentum, figuram, diſpoſitionem, & precipuè ad talem formam ſubſtantialem. Ideo pars ſic accepta peculiarem ſibi vindicat appellationem, manus, pedis nerui: Certum eſt autem, huiuſmodi partes remanere eaſdem, nec poſſunt reparari per nutritionem, ſi contingat eas abſcindi: Ergo reuera viuens manet idem formaliter, dum nutritur, & augetur; identitate tamen minori, quam, corporis incorruptibilis, quod nec materialiter mutatur.

23. *Quænam ſunt organa, ſeu membra corporis in quibus ſubiectātur prædictę tres facultates?* Nutritiua, & augmentatiua reſperguntur per totum corpus, cū in omnibus partibus exerceant ſuas operationes, patet enim ad ſenſum omnes partes etiam minimas corporis augeri, & cōſequenter nutriri. Secundùm peculiares tamen actiones, nutritiua eſt in diſtinctis partibus, nam in ſtomacho format Chylum ex cibo digeſto: in iecore facit ſanguinem; in corde ſpiritus vitales, in cerebro ſpiritus animales. Generatiua verò in ea parte eſt, in qua formatur ſemen; nam ibi exercet operationem ſuam producendo in

ſemine

ſemine virtutem ſeminalem, qua vtitur tanquam inſtrumento ad formandum aliud ſimile in ſpecie. Semen autem eſt ſubiectum talis virtutis ſeminalis.

24. *Quomodo formatur ſemen?* Formatur ex ſuperfluo alimenti, non quidem ſuperfluo excrementitio, ſed ſuperfluo ad nutritionem, eo quod, eſt puriſſima pars alimenti, quam ad determinatam partem corporis tranſmittit natura, vt ibi præparetur, & virtutem illam ſeminalem accipiat.

25. *Cur generatio dicitur viuenti connaturalior?* Quia eſt magis ſecundùm inclinationem naturæ, eo quod bonum commune ſcilicet bonum ſpeciei, quod per generationem conſeruatur, eſt potius quocunque bono particulari.

26. *Nonne Nutritiua facultates aliquas adminiſtras habet?* Etiam, & quatuor ſunt *Attractiua*, *Retentiua*, *Concoctiua*, & *Expulſiua*: quia attrahi debet alimentum, & tandiu retineri in locis ad concoctionem deſtinatis, quouſque perfectè ſit diſpoſitum ad eius conuerſionem in ſubſtantiam aliti, excrementa verò eius, & partes ſuperfluę eijci debent, ne viuenti noceant.

27. *Quid eſt Fames, & Sitis?* Sunt quædam titillationes ex vacuitate ſtomachi, quibus excitatur animal ad appetendum cibum, & potum: Eſt igitur *Fames* appetitus calidi, & ſicci: *Sitis* verò frigidi, & humidi.

FINIS lib. 1. de Anima.

LIBER SECVNDVS

DE ANIMA

Senſitiua.

1. QVid eſt Anima ſenſitiua? Eſt principium radicale ſentiendi; *ſentire* autem eſt rem aliquam ſingularem ſingulariter percipere, cognoſcere, ſeu apprehendere. *Senſus* eſt facultas affixa alicui organo, ad hanc operationem exercendam.

2. *Quot ſunt huiuſmodi facultates?* Nouem; ſcilicet quinque ſenſus externi, & quatuor interni: *Externi* percipiunt exteriora obiecta per externa organa; *Interni* verò per interna, id eſt intra corpus incluſa.

3. *Quænam requiruntur ad ſenſationem externam?* Requiritur. *Primò*, potentia, & organum benè diſpoſitum V. G. oculus. *Secundò*, obiectum huius potentiæ, V.G. color. *Tertiò*, ſpecies intentionalis obiecti; id eſt imago obiecti tranſmiſſa ab obiecto ad oculum. *Quartò*, medium, per quod diffunditur ſpecies intentionalis V. G. aer intermedius, inter colorem, & oculum. *Quintò*, tandem debita applicatio organi ad obiectum, V. G. vt oculus ſit in debita diſtantia.

4. *Quotuplex eſt obiectum Senſus?* Triplex,

Com-

Commune, Proprium, & per accidens, *Commune* eſt, quod poteſt percipi à pluribus ſenſibus: *Proprium*, ab vno tantùm: *per accidens*, quod non ratione ſui, ſed ratione communis, vel proprij attingitur. Itaque commune, & proprium per ſe attingitur, proprium primariò, commune ſecundariò: vtrumque per eandem ſpeciem intentionalem. Proprium quintuplex eſt, *Color*, *Sonus*, *Odor*, *Sapor*, & *Qualitas tangibilis*. Commune etiam quintuplex eſt, *motus*, *quies*, *numerus*, *figura*, & *magnitudo*. Senſibile verò per accidens eſt omnis ſubſtantia corporea, quæ ſecundùm ſe non eſt ſenſibilis actu; fit autem ſenſibilis per accidentia ſua ſenſibilia, ſicut lapis ſenſu non perciperetur, niſi, vel propter colorem, aut duritiem, frigiditatem &c.

5. *Falliturne ſenſus circa obiectum ſuum?* Circa proprium non fallitur propriè, & per ſe, ſi omnia requiſita adſint. Circa commune ſæpè fallitur, & multò magis circa per accidens.

6. *Quid eſt Organum ſenſus?* Eſt pars corporis taliter diſpoſita, vt ſit perceptiua qualitatis ſenſibilis, per potentiam ſenſitiuam, cuius eſt ſedes, V. G. oculus, auris.

7. *Quid eſt ſpecies intentionalis obiecti?* Eſt quædam ſimilitudo, ſeu imago formata ab obiecto, & tranſmiſſa ad ſenſum. Cuius neceſſitas aſtruitur, non ſolùm experiētia ſpeculi, in quo ſunt imagines rerum ſecundùm eſſe intentionale tantùm, non naturale; ſed etiam ratione cōuincitur, ex hoc, quod sēſus

eſt

eſt potentia indeterminata, & indifferens in actu primo ad hoc, vel illud obiectum: Ergo debet recipere aliquid in ſe, quo determinetur: non poteſt autem recipere obiectum ſecundum ſuum eſſe naturale, ergo debet recipere illud ſecundùm eſſe intentionale, & repræſentatiuum, quod vocatur ſpecies intentionalis. Et hoc non ſolùm ſenſui, ſed, & intellectui neceſſarium eſt.

8. *Quomodo cõcurrit hæc ſpecies ad cognitionem?* Actiuè concurrit, quia complet potentiam in actu primo, vt actum ſuum eliciat.

9. *Quare requiritur Medium ad ſenſationem eliciendam?* Quia obiectum non debet contingere ſenſum ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſecundùm ſuam ſpeciem, eo quod, non eſt ſatis immateriale in ſe, vt poſſit percipi: ergo debet eſſe aliquod medium deferens ſpeciem ſenſibilem, & reddens ipſum obiectum paulò immaterialius. Inde exit vulgare proloquium *Senſibili poſito ſupra ſenſum non fit ſenſatio.*

10. *Quotuplex eſt Medium?* Duplex, ſcilicet externum, & internum: externum eſt extra corpus V.G. aer eſt medium, per quod videtur color: internum verò eſt aliqua pars corporis contegens organum ſenſus V.G. caro, & pellis contegens neruum, eſt medium tactus. Viſus, Auditus, & Olfactus requirunt medium externum, Guſtus, & Tactus internum.

11. *Debetne eſſe præſens obiectum ſenſus?* Etiam, nec vllo modo poteſt rem abſentem perci-

percipere, quia res abſens non poteſt immittere ſpecies intentionales; res enim abſens reputatur, quaſi non eſſet.

12. *Eſtne Senſus potentia actiua, an paſſiua?* Eſt aliquo modo vtrumque: nam eſt potentia actiua, quia elicit vitaliter ſuam actionem. V. G. viſus viſionem: Eſt potentia paſſiua, quia recipit ab obiecto ſpecies, quibus informatus fit potens ad ſuam ſenſationem faciendam. Non tamen eſt ſupra ſe reflexiuus, quia reflectere eſt percipere ſuam operationem: ſed operatio Senſus eſt extra obiectum eius, nam viſio non eſt colorata, ergo ſenſus non poteſt eam percipere.

13. *Læditurne à Vehementi ſenſibili?* Etiam ob improportionem obiecti cum diſpoſitione naturali organi: Non verò ex eo, quod eſt obiectum talis facultatis.

14. *Quot debent conſtitui Senſus exteriores?* Quinque ſc. *Viſus*, *Auditus*, *Olfactus*, *Guſtus*, & *Tactus*: quod multipliciter oſtenditur: *Primò*, quia ſunt quinq; genera qualitatum ſenſibilium ſc. *Color*, *Sonus*, *Odor*, *Sapor*, & *qualitas tangibilis*; & conſequenter quinque obiecta propria ſenſuum; vt dictum eſt, ergo. *Secundò*, quia in corpore perfecti animalis reperiuntur tantùm quinq; organa externa, Oculus, Auris, Naſus, Lingua, & *reliquum corpus* eodem modo immutabile à ſenſibili: Ergo debent eſſe tantùm quinq; ſenſus. *Tertiò*, quia ſunt quinq; immutationes ſenſibiles, id eſt quinque modi, quibus exterius ſenſibile habet immutare ſenſum. Ad quod intelli-

telligendum prius obſeruandum eſt, duplicē in genere fieri immutationē prima vocatur ſpiritualis, altera naturalis: *immutatio ſpiritualis* eſt, quæ fit per qualitatem ſecundùm ſuum eſſe intentionale: *naturalis*, ſecundùm ſuum eſſe naturale V.G. color immutat viſū immutatione ſpirituali, quia recipitur in oculo ſecūdùm eſſe intentionale, non naturale; alias faceret ipſum coloratum. Non ſufficit autem ſola immutatio naturalis ad ſenſationem; quia ſic omnia corpora naturalia ſentirent, dum alterantur, quod abſurdum eſt: ergo ad quamcunque ſenſationem requiritur immutatio ſpiritualis. Vel igitur fit ſola immutatio ſpiritualis, & eſt *Primà*, cōuenitq; *Viſui*: vel cū immutatione ſpirituali, etiā naturalis reperitur, quod cōtingit quadrupliciter, 1. Quando ſit immutatio ex parte obiecti, ratione tantùm motus localis, ſonus enim propagatur per aerem ſecundum eſſe naturale, & hæc eſt *Secunda* immutatio conueniens *Auditui*. 2. Quando fit immutatio ex parte obiecti abſolutè, & ſecundùm veram alterationem (vt cum corpus ſpirat odorem, quodammodo calefit, & alteratur;) & hæc eſt *Tertia* immutatio competens *Olfactui*. 3. Quando immutatio naturalis non ſolùm fit ex parte obiecti, ſed etiam ex parte organi, non tamen ſecundùm eandem qualitatem, vt lingua immutatur quidem naturaliter, ſed per humiditatē, non per ſaporem, quem guſtat, fit enim ipſa humida non ſaporoſa, & hæc eſt *Quarta* immutatio com-

competens *Guſtui*. 4. Tandem fit immutatio naturalis obiecti, & organi etiam ſecundum eandem qualitatem quam ſentit, ſic manus ſentiendo calorem, ipſa quoque calefit: & hæc eſt *Quinta* immutatio conueniens *Tactui*. In tribus primis ſenſibus non immutatur organum naturaliter. Sed ſolùm in aliis duobus, qui ob id ſunt inferiores, & magis accedunt ad materiam; viſus verò primus eſt, vtpotè ſpiritualior, quia nec ex parte organi, nec ex parte obiecti fit immutatio naturalis. Hinc colligitur obiecta ſenſuum non eſſe niſi accidentia, habentia vim immutatiuam ſecundum ſe, quales ſunt qualitates tertiæ ſpeciei.

De Viſu.

15. Q*Vodnam eſt obiectum Viſus?* Eſt Lux, & Color, ſeu qualitas quædam innominata, in qua conueniunt Lux, & Color.

16. *Quid eſt Lux?* Non poteſt dici corpus, vt aſſerebat Empedocles. 1. Quia duo corpora non poſſunt eſſe ſimul in eodem loco, ſed lux eſt in aere, aqua vitro &c. Ergo. 2. Quia nullum corpus mouetur in inſtanti, atqui illuminatio fit in inſtãti, ſtatim enim, dum Sol eſt in pũcto horiſontis, totum ſimul illuſtrat Hęmiſphærium, ſi igitur Lux eſſet corpus, oportet, vt in inſtanti ab vno puncto horiſontis ad alterum perueniret. Deinde Lux nullum habet motum naturalem determinatũ, nam indifferenter tùm circulariter,

tùm recta mouetur. 3. Si eſſet corpus generaretur, quando fit illuminatio, & corrumperetur ad abſentiam Luminaris, vt experientia docet: non poteſt autem dici, quòd tantum corpus, tam citò generetur, & corrumpatur per ſolam præſentiam,& abſentiã Luminaris. Præterea corrupto lumine in aere,deberet aliquid aliud generari, & generato,aliquid corrumpi,quia generatio vnius eſt corruptio alterius,non tamen aliquid apparet generari, vel corrumpi: Ergo Lux nõ poteſt eſſe corpus,vt imaginabantur antiqui Philoſophi, quorum error erat, renouatus eſt à quibuſdam dicẽtibus, lumen eſſe defluxum corporum ſubtilium à Sole, & Stellis; iam enim notabiliter diminutum eſſet corpus Solis,niſi forſan fabuloſè dicatur,ex Vaporibus eleuatis cibari, ad reſtaurationem deperditi. Nec poteſt quoque Lux dici forma ſubſtantialis Solis. 1. Quia nulla forma ſubſtãtialis eſt per ſe ſenſibilis. 2. Quia quod alicui eſt forma ſubſtantialis, non poteſt eſſe accidentalis alteri, Lumen autem eſt accidens aeris. Relinquitur ergo,vt Lux ſit qualitas quædam, & ſic definitur, LVX EST ACTVS PERSPICVI VT PERSPICVVM EST id eſt qualitas quædam, qua corpus redditur actu perſpicuũ, ſeu lucidũ.

17. *Eſtne qualitas naturalis?* Maximè,quia eſt intenſibilis, & remiſſibilis, ac per ſe primò ſenſibilis: Deinde,ſi non haberet eſſe naturale, eſſet quid intentionale; hoc autem eſt falſum. 1. Quia lumen denominat aerem lumi-

luminoſum, non verò color denominat aerem coloratum. 2. Quia lumen habet effectum in natura, nam per radios Solis caleſiunt corpora, intentiones autem non cauſant tranſmutationes. Ergo Lux debet eſſe qualitas naturalis: propria quidem Soli, cæteris verò per participationem.

18. *Quid eſt Color?* Eſt extremitas perſpicui in corpore terminato, id eſt opaco; Sicque color eſt qualitas, ex luce, & opacitate reſultans, Luce tanquam forma, opacitate tanquam materia: in extremitate corporis, licet enim color ſit etiam in interioribus partibus, tamen non eſt qualitas perſpicui, niſi ſecundùm extremitatem, quæ videtur: ſicut igitur mixtum virtualiter ſolùm includit elementa, ita Color conſtat virtualiter luce adumbrata per opacitatem.

19. *In quibuſnam reperitur?* In mixtis, non in Elementis, quia calor eſt quędam qualitas ſecunda ex permixtione primarum, & Elementorum, nempe ex luciditate ignis, ex diaphaneitate aeris, & aquæ, & ex opacitate Terræ. Non tamen quodcunque mixtum eſt ſuſceptiuum coloris, ſed perſpicuum terminatum.

20. *Quotuplex eſt perſpicuum?* Quadruplex: primum habet Lucem in ſua plenitudine, ſcilicet Sol: ſecundum habet Lucem aliquam exiguam, vt ignis in extranea materia. Tertium, quod non habet lucem actu, ſed eſt ſuſceptiuum lucis ſecundùm ſe totū, vt Aer, Aqua, vitrum: Quartum denique,

quod

quod eſt ſuſceptiuum lucis ſecundum extremitatem ſuam tantùm, propter craſſitiem, & opacitatem partium adumbrantem lucem, & iſtud vocatur perſpicuum terminatum, quod eſt ſuſceptiuum coloris.

21. *Quotuplex eſt Color?* Duplex, verus, & apparens; hic non differt à luce eſſentialiter, ſed eſt ipſamet Lux modificata, & reflexa, vt apparet in Iride, in vitro aqua pleno, in cæruleo cœleſti, & huiuſmodi; qui quidem ad ſolam Lucis variationem variatur quoque, nec in ſubiecto permanet: Verus autem color permanet in ſubiecto, nec prouenit ab extrinſeco, nempe à luce, ſed à principijs intrinſecis ſubiecti ſc. ex permixtione qualitatum in mixto, V.G. calor in auro, non prouenit à luce extrinſeca, ſed à tali temperamento, & diſpoſitione materiæ auri: Inde neceſſe eſt, verum colorem ab apparenti realiter diſtinguere, quem, externum colorem appellat Ariſt. id eſt, ab extrinſeco prouenientem. Idem etiam expreſſe docet *in præd. c. de qual.* diſtinguens colores à luce, ait enim colores eſſe paſſibiles qualitates, habentes contrarium, & *7. l. Phyſ.* terminare per ſe motum alterationis, conſtat autem, lumen non terminare motum per ſe, quia contrario caret, produciturq; in inſtanti; veri autem colores per ſe ſucceſſiuè: Ergo verus color diſtingui debet à calore apparenti, & lumine.

22. *Quomodo definitur color, vt eſt viſibilis?* Definitur ab Ariſt. MOTIVVS DIAPHANI SECVNDVM ACTVM id eſt, eſt

eſt id,quod mouet medium Diaphanum, & tranſparens,quod iam habet actũ ſuũ,nempè lumen,Lux enim,vt ſupra dictũ eſt, eſt actus perſpicui, ſeu Diaphani. Itaque Color eſt quidẽ ſecundùm ſe viſibilis, non tamen mouet medium,id eſt emittit ſpecies ſuas intentionales, niſi medium ſit Diaphanum, & actu illuminatum circa obiectum ſaltem.

23. *Nonne aliqua videntur in tenebris?* Videntur ea, quæ habent ex ſe aliquam luciditatem, vt ignita, cicindelæ, fungi, quorundam animalium cornua, piſcium capita, ſquamæ, & oculi, inſuper oculi luporum, felum, ac quorundam aliorum, & tandem putres arborum trunci, carie marcidi.

24. *Quid tenebræ ſunt?* Non qualitas aliqua, ſed ſola priuatio luminis in perſpicuo.

25. *Quodnam eſt ſubiectum potentiæ viſiuæ, ſeu organum viſus?* Eſt pupilla ſimul cum neruis quibuſdam è cerebro ad oculum deſcendentibus,qui ob id optici,ſeu viſorij vocantur: Ratio eſt, quia in pupilla recipiuntur ſpecies viſibiles, ergo in illa reſidet potentia viſiua,quæ tamen foret duplex,duplicemque viſionem formaret, niſi ſpecies illæ in duabus pupillis receptæ vnirentur, vbi nerui ipſi optici vniuntur, cùm deſcendunt è cerebro & ibi perficitur totalis viſio, ergo ibi quoque reſidet potentia viſiua.

26. *Quænam ſunt officia neruorum opticorũ?* Primum eſt, deferre ſpiritus animales, qui fiunt in cerebro, ad oculum: Secundum recipere ſpecies viſibiles ab oculo; Tertium,

eas

eas transferre ad ſenſum communem, qui reſidet in cerebro.

27. *Anne potius ſit viſio per extramiſſionem radiorum ab oculo, quàm per receptionem ſpecierum?* Nequaquam, quia obiectum à tergo videntis poſitum non poſſet videri in ſpeculo, quòd experientiæ repugnat, neceſſe eſt ergo ponere ſpecies intentionales.

28. *Quodnam eſt corpus, quod poteſt eſſe medium viſus?* Aer, Aqua, & corpus quodlibet Diaphanum, actu illuminatum, nullo modo coloratum, alias non videretur obiectum in ſuo natiuo colore; hinc oculi pupilla ſubſtantia eſt quædam aquea, ſeu chryſtallus puriſſima, nullum habens colorem, vt omnes poſſit recipere.

De Auditu.

29. *QVodnam eſt obiectum Auditus?* Eſt Sonus, qui eſt qualitas ſenſibilis reſultans ex percuſſione corporum, & reſilientia medij; hinc quædam corpora maiorem ſonum edunt, quia ex eorum percuſſione magis reſilit medium. Non ſubiectatur in corpore ſonante, ſed in medio, quia idem numero accidens non poteſt eſſe in diuerſis ſubiectis, experientia autem conſtat ſonum recipi in medio, cum quo mouetur: Ergo. Sufficit tamen, vt perueniat ad aures ſecundum ſuum eſſe intentionale, non reale: quia ſæpè hic motus, & reſilientia aeris deficit, propter longam diſtantiam, & tamen auditus ſonus.

30. *Quod-*

30. *Quodnam eſt medium, per quod propagari poteſt ſonus?* Solus Aer eſt medium reſpectu generationis ſoni, & propagationis ſecundùm eſſe naturale, ſed aqua, corporaque ſolida, vt lignum poſſunt eſſe per poros medium propagationis eius ſecundùm eſſe intentionale; nam piſces audiunt in medijs aquis ſonum in aere productum, non tamen in aqua producitur ſonus, licet piſces fortiter aquam percutiant. Differt ſonus à voce, quod ſonus dicitur de quocunque, *vox* autem eſt ſonus animalis, ex percuſſione inſpirati aeris cauſatus ad arteriam vocalem, cum quadam imaginatione.

31. *Quid eſt Echo?* Eſt ſonus reflexus ob obſiſtentiam alicuius corporis concaui.

32. *Organum Auditus quodnam eſt?* Aerea quædam eſt ſubſtantia, intra aures incluſa contecta pellicula, quæ appellatur tympanum, recipiens ſpecies intentionales ſoni, ſimul cum neruis auditorijs, è cerebro deſcendentibus, eo modo, quo de viſu diximus.

De Odoratu.

33. QVodnam eſt obiectum Odoratus? Eſt Odor, qui eſt qualitas ſecunda ex certo temperamento primarum qualitatum reſultans, in qua ſiccum prædominatur humido.

34. *Quodnam eſt Organum eius?* Sunt ipſi proceſſus mammillares id eſt duo globuli carnei in ſummitate narium, habentes ſimilitu-

litudinem mammillarum; ſimul cum duobus neruis, quibus continuantur, & coniunguntur, modo ſupra explicato de neruis opticis.

35. *Quodnam eſt medium, per quod diffunditur odor?* Eſt præcipuè Aer; quia odor non diffunditur niſi media aliqua fumoſa euaporatione ſubtiliorum partium rei odoriferæ, quod facilè colligitur ex hoc, quod res odorifera in vaſe cooperto incluſa, non emittit odorem ſuum, diſcooperto, emittit: Euaporatio autem illa faciliùs fit per Aerem.

De Guſtu, & Tactu.

36. Q*Vodnam eſt obiectum Guſtus?* Eſt Sapor, qui eſt qualitas ſecunda ſenſibilis reſultans ex permixtione primarum, in qua humidum prædominatur Sicco. *Organum* eius non eſt ipſa caro linguę, ſed neruus è cerebro diſcendens ſub carne per totam linguam ramificatus: Ratio eſt, quia organũ guſtus debet eſſe ſiccius, vt poſſit percipere humiditatẽ ſaporum: caro autem humidior eſt, quia eſt cõpoſitionis aeræ, neruus ſiccior, quia eſt naturæ terreæ: ergo neruus debet eſſe organum guſtus, præcipuè reſidet in extremitate linguæ. *Medium* eſt ipſa caro linguæ, in guſtu enim, & tactu medium debet eſſe internum. Saporum ſpecies ſunt ſeptem, *dulce*, *amarum*, *pingue*, *ſalſum*, *acetoſum*, *auſterum*, & *acutum*.

37. *Quodnam eſt obiectum Tactus?* Quatuor primæ qualitates, plurimæque aliæ, vt durities,

ties, mollities: percipiuntur autem ſecundùm excellentiam ſuam, id eſt ſecundùm gradum, in quo excedunt qualitates organi: V. G. manus calida vt duo, non ſentiet calorem vt duo, in ligno, vel aqua V. G. ſed tantùm calorem, vt tria, & ſupra; quia in tactu fit Phyſica, & naturalis immutatio, quæ non poteſt fieri, niſi ab obiecto excellenti: eo quod ſimile non agit in ſimile.

38. *Quodnam eſt organum Tactus?* Eſt neruus ſparſus per totum corpus, experientia enim conſtat, eas partes maximè eſſe ſenſibiles tactu, quæ ſunt neruoſæ, quæ verò neruos non habent, vt oſſa, non ſentiunt. Naturæ ſapienti diſpoſitione ſparſus eſt neruus tactorius per totum corpus, propter maximam neceſſitatem iſtius ſenſus ad repellenda nociua, & corruptiua, quæ poſſunt animali vndequaque contingere. Medium, eſt caro tegens hunc neruum tactorium.

De Senſibus Internis.

39. Q*Vot ſunt Senſus interni?* Quatuor, *Sēſus cōmunis, Phantaſia, Æſtimatiua, & Memoria*: Quia tot ſunt ſenſus interni, quot ſunt actiones internę ad vitam animalis neceſſariæ: atqui ſunt quatuor; nam *Primò* debet iudicare de obiectis ſenſuū externorum, & diſtinguere inter illa: quia ſēſus exterior iudicat tantùm de obiecto ſuo proprio: ergo, vt animal poſſit iudicare inter obiectum propriū vnius ſenſus, & obiectum

alterius debet habere facultatem vtriuſq; cognoſcitiuam; & hæc eſt Senſus communis: idcircò tendunt omnes nerui ſenſorij ad anteriorem partem cerebri, vbi reſidet Senſus Communis. *Secundò*, non ſolum debet percipere obiecta præſentia, ſed etiam abſentia, quia ſępè mouetur animal ex obiecto abſenti, vt auis aduolat ad nidum abſentem: ergo debet habere facultatem ad retinendas illas ſpecies, quas ſenſus communis accepit à ſenſibus; & hæc eſt Phantaſia, ſeu imaginatiua, ſic dicta, quia imagines, & phantaſmata rerum conſeruat, quæque realiter diſtingui debet à ſenſu communi, quia habet organum alio modo diſpoſitum: nam humida facilè recipiunt, & malè retinent, è contrà, ſicca malè recipiunt, & facilè retinent, cùm igitur ſenſus cõmunis recipiat, & phantaſia retineat, habent organa diuerſa, & conſequenter realiter diſtinguũtur. *Tertiò*, animal non ſolum mouetur propter delectabile ſecundùm ſenſum, ſed inſuper propter rationes aliquas conuenientię, vel diſconuenientię, quas non percipit ſẽſus exterior, & quę ob id inſẽſatę appellantur. V.G. ouis videns lupum veniẽtem, fugit, eo quòd apprehendit aliquam rationem diſconuenientiæ, quam ſenſus exterior nullumodo percipit; ſimiliter auis colligit paleam, quam per ſenſum externum nõ poteſt iudicare conuenientem ad nidificandum: ergo debet eſſe aliqua facultas, quæ has rationes inſẽſatas percipiat, & hęc eſt Æſtimatiua; quæ in homine appellatur Cogitatiua,

tiua, quia per illam cognoſcit cum quadam collatione; propter participationem aliquam luminis intellectualis. *Quartò* tandem retineri debent huiuſmodi ſpecies inſenſatæ, & ad hoc datur facultas, quæ vocatur Memoria, ob eandem rationem ab Æſtimatiua diſtincta. Ergo quatuor ſunt Senſus interiores, duo receptiui, alter ſenſatorum, alter inſenſatorum, & duo retentiui eorundem. Hinc quatuor ſunt diſtributæ in cerebro cellulæ, anteriorem occupat ſenſus communis, ſequentem phantaſia, tertiam æſtimatiua, poſteriorem Memoria.

FINIS lib. 2. de Anima.

LIBER TERTIVS

DE ANIMA

Intellectiua.

1. ANima Rationalis eſtne ſpiritualis, & incorporea ſecundùm ſuam ſubſtantiam? Ita planè, quia ſubſtantiam rei ex operatione dignoſcimus, operatio enim ſequitur Eſſe, (id eſt eiuſdem ordinis, & naturæ eſt ſubſtantia rei cum ſua operatione:) atqui Anima rationalis habet operationes independentes à corpore, & immateriales: ergo ipſa debet eſſe

ſpiritualis, & incorporea. Facilè probatur hęc Minor, *Primò* ratione D. Th. 1. *p. q.* 75. *a.* 2. Quod poteſt cognoſcere aliqua, (intellige corporea, & naturalia) nihil horum debet habere in ſua natura, ſicut oculus nullũ habet colorem, auris nullum ſonum &c. atqui anima poteſt cognoſcere omnia corpora, vt patet, ergo ipſa debet eſſe omninò incorporea. *Secundò*, propria operatio Animæ rationalis eſt intellectio, ſed intellectio fit per abſtractionem à conditionibus materialibus, & ſenſibilibus, ſeu à conditionibus indiuiduãtibus, quia cognoſcit vniuerſalia, vt vniuerſalia ſunt: Ergo intellectio fit ſpirituali, & immateriali modo, ergo operatio Animæ eſt ſpiritualis, igitur, & ipſa Anima. *Tertiò*, poteſt intellectus apprehendere res purè ſpirituales, vt Intelligentias ſeparatas, & Deum, licet imperfectè, ergo debet eſſe ſpiritualis; facultas enim purè corporalis nullo modo percipit res ſpirituales, nec poteſt diſtinguere res corporeas ab incorporeis, ergo facultas, quæ eas diſcernit, debet eſſe altioris ordinis. *Quartò*, facultas ſupra ſe reflexiua, id eſt cognoſcitiua ſuæ propriæ operationis debet eſſe ſpiritualis, quia quod eſt corporale eſt limitatum: atqui Anima rationalis eſt reflexiua etiam ſupra reflexionem ſuam: Ergo.

2. *Anima rationalis ſubſiſtitne per ſe, independenter à corpore?* Etiam, quia quod habet operationem per ſe independentem à corpore, debet ſubſiſtere independenter à corpore: atqui Anima hanc habet operationem,

nam

nam intellectio ſit per abſtractionem à corpore; & ſpiritualis probata eſt: Ergo poteſt independenter à corpore ſubſiſtere.

3. *Quare igitur ſubſiſtit in corpore, & ei naturaliter vnitur, tanquam propria eius forma?* Quia, cùm ſit in infimo gradu intellectualiũ naturarum, non eſt naturaliter intelligens actu, ſed in potentia, quia id, quod eſt actu, perfectius eſt, & nobilius, quàm id, quod eſt in potentia: ergo, quod eſt in infimo gradu intelligentiũ, debet eſſe intelligens tantùm in potentia, & quod eſt in ſupremo, debet eſſe maximè actu intelligens, ſicut DEVS: Eſſe autem actu intelligens, eſt habere actu formas, & ſpecies rerum intelligibilium; ſicut eſſe actu videns, eſt habere actu colores in oculo; in potentia verò, eſt habere eas in potentia. Anima ergo rationalis nullas naturaliter rerum ſpecies habere debet, & ita nunquam eſſet intelligens actu, niſi acciperet aliunde; accipit autem à ſenſibus, quorum ope formantur phantaſmata in imaginatione; & ea intellectus accipit ad intelligendum, modo infrà dicendo: ergo neceſsè eſt Animam vniri corpori, vt valeat aliquid connaturaliter intelligere: quo tamen accepto non amplius corpore indiget ad intelligendum, ſicque poteſt ſeparata operari. Indiget ergo corpore in initio, non in fine: ideò creatur immediatè in corpore, ſed poſtea poteſt ſubſiſtere ſine corpore.

4. *Eſtne incorruptibilis, & immortalis?* Ita planè, *Primò*, quia ſubſiſtit per ſe indepen-

denter à materia,ergo ſi corrumperetur, deberet per ſe corrumpi. Sed hoc fieri non poteſt, quia illud per ſe corrumpitur, quod per ſe amittit eſſe per ſeparationem actus à potentia, ſeu materia, ſicut accidit mors hominis per ſeparationem animæ à corpore: ſed actus non poteſt ſeparari ab Anima, eo quod ei conuenit ſecundùm ſe eſſe actum, ergo non poteſt carere illo. Formæ verò animalium, quia per ſe non ſubſiſtunt, ſed per totum, ad eius quoque corruptionem deſinunt: quod eſt per accidẽs corrumpi. *Secundò*, etiamſi anima haberet materiam, nihilominus eſſet incorruptibilis, quia corruptio accidit per aliquam contrarietatem, nulla autem eſt contrarietas in Anima, quia etiam rationes contrariorum non ſunt in Anima contrariæ, nam contrariorum eadem eſt ſcientia. *Tertiò*, quia in hoc conſentiunt omnes Philoſophi, Animam rationalem immortalem eſſe. *Quartò*, quia cùm virtuti debeatur præmium, & pæna peccato, debet Anima eſſe immortalis, vt talem pænam, vel pręmium accipiat poſt hanc vitam, in qua ſæpè accidit non accepiſſe actionum ſuarum præmium, vel pænam: alias neganda eſſet Dei prouidentia, & iuſtitia iuxtà Epicureorum peruerſum dogma.

5. *Quomodo producitur?* Per creationem à Deo, quia res ſpirituales alio modo produci nequeunt, cùm nõ contineantur in materia, ſicut formæ corporales: non producitur autem prius corpore humano, nec ab initio

mundi

mundi productæ fuerunt Animæ, vt opinabatur Origenes; ſed in ipſo inſtanti generationis hominis, à Deo creatur, & corpori infunditur, eo quod eſt naturaliter forma corporis, ergo inutiliter, & pręter naturam eius ante Corpus formaretur à Deo, quod eſt inconueniens: quod verò ſubſiſtat non in corpore poſt mortem hominis, fit per accidens, ſc. propter corporis corruptibilitatem; & hic ſtatus eſt pręternaturalis ei, habętque anima ſemper naturalem appetitum ad corpus ſuũ, quo tandem in fine Mundi potietur, & in æternum vnita corpori perſeuerabit.

6. *Vna Anima rationalis eſtne perfectior altera?* Eſt, non ſolùm accidentaliter, ſed etiam ſubſtantialiter in indiuiduo, cùm petat vniri perfectiori corpori; quamquam ſpecificè omnes ſint æquales.

De Potentia Intellectiua.

7 QVotuplex eſt in nobis potentia intellectiua? Vnica eſt potentia cognoſcitiua intellectualiter, id eſt immaterialiter, & vniuerſaliter; eo quod non poteſt eſſe niſi vnum obiectum vniuerſaliter intelligibile ſc. Ens in communi, ſed quia hæc facultas non habet ex ſe ſpecies intelligibiles, eo quod anima eſt intelligens tantùm in potentia ſecundùm ſe, debet habere aliam facultatem faciendi ſpecies intelligibiles: & hæc vocatur. *Intellectus agens*; facultas verò cognoſcitiua *Intellectus patiens*, eo quod pati-

tur, id eſt recipit ſpecies ab intellectu agente factas.

8. *Suntne duæ facultates realiter diſtinctæ?* Etiam, quia habent actus realiter diſtinctos, ſc. facere aliquid intelligibile, & recipere illud.

9. *Quomodo Intellectus agens facit ſpecies intelligibiles?* Denudando ſpecies, quæ receptæ ſunt à ſenſibus, & quæ in phantaſia reſeruãtur, à materialibus cõditionibus, quæ ſingularitatem ſequuntur; eaſque ſic denudatas Intellectui patienti imprimendo. Inde appellatæ ſunt ſpecies impreſſæ. Non ponitur autem aliquis *ſenſus agens*, quia obiecta ſenſuum ſunt actu ſenſibilia, obiectum verò intellectus non eſt actu intelligibile, ergo debet fieri intelligibile per aliquam facultatem.

10. *Quomodo concurrit intellectus agens, ad hanc ſpecierum productionem?* Concurrit, vt cauſa principalis, phantaſma, vt cauſa inſtrumentalis (intellige in genere facultatis) tamen etiam concurrit phantaſma, vt materia, ex qua fit ſpecies intelligibilis.

11. *Quodnam eſt obiectum intellectus noſtri?* Eſt Ens ſub ratione *Veri*, quia ſub hac ratione formali habet conformitatem ad intellectum: Ergo ab eo poteſt intelligi: Connaturaliter verò, & pro hoc ſtatu, non congnoſcit intellectus noſter, niſi quidditatem rei materialis; quia pro hoc ſtatu ſpecies omnes intelligibiles accipiuntur à ſenſibus, qui non percipiunt niſi res materiales: Ergo licet intellectus nobiliori modo eas cognoſcat,

quàm

quàm ſenſus, ſemper tamen ſunt res materiales. Deinde non poteſt Anima habere operationem ſeipſa perfectiorem, Anima autem licet ſit ſpiritualis, eſt tamen forma in corpore, ergo connaturaliter non poteſt intelligere, niſi formas in corpore, id eſt res, quæ in ſua quidditate includunt materiam, vt Leo Lapis, Elementum &c. Ergo.

12. *Quomodo hanc quidditatẽ rei materialis intelligit?* Abſtrahendo à Phantaſmatibus, ideſt ſeparando obiectum, quod eſt in phantaſmate, à conditionibus materiæ, quæ ſunt *hic*, & *nunc*; & ita remanent ſola quidditas, ſeu natura, materialis quidem ſecundùm ſe, ſed ſpiritualizata, & immaterialis ſecundùm modum, quo intelligitur. Hinc fit proprium obiectum intellectus eſſe *vniuerſale*, id eſt naturam abſtractam à conditionibus indiuiduantibus.

13. *Cognoſcitne intellectus ſingularia, contingentia, futura?* Congoſcit ſingularia, & contingentia, indirectè ſe conuertendo ad phantaſmata, quę repræsẽtant directè ſingularia. Futura verò cognoſcit in cauſis, vel certò, vel coniecturaliter, ſecundùm quod cauſæ ſunt neceſſarię, vel contingentes. Senſus verò directè cognoſcit, ſingularia, quia ſenſus eſt potentia in materia, id eſt affixa organo corporali, cũ igitur materia ſit principium indiuiduationis, quidquid in ea recipietur erit ſingulare, quia quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur. Notanda eſt igitur differentia inter intelle-

tum,& ſenſum. Intellectus abſtrahit à ſingulari, & à præſenti: ſenſus internus abſtrahit quidem à præſenti, quia percipit res abſentes, ſed non à ſingulari: ſenſus verò externus, nec à præſenti, nec à ſingulari abſtrahit.

14. *Quiſnam eſt ordo intelligibilium ab intellectu?* *Primò* intelligit Ens, *Secundò* negationem entis, id eſt, quod hoc ens non ſit aliud: *Tertiò* intelligit diuiſionem, id eſt diſtinctionem per ens, & non ens, *Quartò* intelligit vnum, quod priuat diuiſionem, id eſt quod importat indiuiſionem. *Quintò* intelligit multitudinem, quæ dicit duas negationes; vnam, quod hoc non ſit illud; alteram, quod quodlibet eorum non ſit diuiſum. *D. Th. tract. de præd. quant. c.* 1. Ratio eſt, quia intellectus noſter intelligendo procedit de potentia ad actum, ergo debet priùs intelligere id, quod eſt magis confuſum, deinde id, quod eſt magis diſtinctum, confuſa enim ſunt in potentia ad diſtinctionem, diſtincta verò dicunt actum, quia ſunt diſtincta per formam, quæ eſt actus: atqui vniuerſaliora V.G. Ens, ſunt magis confuſa, præciſè vt talia, quia continent in potentia differentias, per quas diſtingui poſſunt; Ergo ea prius intelligit noſter intellectus: V.G. quando, quis videt à longe Petrum venientem, prius concipit eſſe aliquod ens, deinde eſſe animal, quia mouetur, poſtea eſſe hominem, quia talem habet figuram, vltimò eſſe Petrũ: Ergo vniuerſaliora priùs cognoſcũtur, quàm reliqua.

15. *Poteſtne intellectus noſter multa ſimul intelli-*

telligere? Non, quia impoſſibile eſt idem ſubiectum perfici pluribus formis vnius generis, ſicut impoſſibile eſt, quod idem corpus ſecũdùm idem diuerſis coloribus coloretur: ſed ſpecies intelligibiles ſunt vnius generis, quia ſunt perfectiones vnius intellectiuę potẽtię, licet res, quarũ ſunt ſpecies ſint diuerſorum generum: Ergo non poteſt intellectus pluribus ſimul perfici, eaſq; intelligere. Sed nihil prohibet multa intelligere per modum vnius, id eſt per vnicam ſpeciem; ideò Deus omnia ſimul videt per vnicam ſuam eſſentiã.

16. *Poteſtne intellectus eſſe falſus circa quidditatem rei, quam cognoſcit*? Non, quia nulla potentia per ſe fallitur circa proprium obiectum, eo quod, per ſe ordinatur ad proprium obiectum: at quidditas rei eſt proprium obiectum intellectus: Ergo circa quidditatem rei per ſe loquendo intellectus non fallitur, ſed circa ea, quæ circunſtant rei eſſentiam, dum vnum ordinat ad aliud, componendo, diuidendo, & ratiocinando. Per accidens tamen poteſt errare circa quidditatem rei ex parte compoſitionis interuenientis circa definitionem, vt ſi definias hominem animal rationale alatum.

17. *Poteſtne vnus alio meliùs eandem rem intelligere?* Poteſt; non quidem ex parte rei intellectæ, quia ſic res illa aliter intelligeretur, quàm ſit, ſed ex parte intelligentis, qui meliorem habet intelligendi virtutem prouenientem ex meliori diſpoſitione corporis, inferiorũque virtutũ, quibus indiget intel-

lectus ad ſuam operationem. Ille autem dicitur meliùs intelligere, qui poteſt reducere concluſionem aliquam ad altiora principia.

18. *Poteſtne intellectus intelligere per ſpecies, quas accepit ex ſenſibus, non ſe conuertendo ad Phantaſmata?* Non poteſt pro hoc ſtatu, quia non poteſt vti his ſpeciebus, niſi ſecundùm modum rerum; quarum ſunt ſpecies: atqui res illæ ſunt naturæ in particulari exiſtentes: ergò natura lapidis V.G., vel cuiuſcunque rei materialis, non poteſt completè, & verè cognoſci, niſi ſecundùm, quod cognoſcitur, vt in particulari exiſtens; ſed hoc eſt ſe conuertere ad Phantaſmata, ergò intellectus intelligendo, ſe conuertit ad Phantaſmata: quod hoc modo fit; dum intellectus percipit naturam lapidis, imaginatio ſibi repræſentat quoddam indiuiduum lapidis, per Phantaſma ab ipſo acceptum: idcircò perturbata imaginatione, nihil poteſt intellectus intelligere. Quantùm verò ad incorporea, quorum non ſunt Phantaſmata, cognoſcuntur tamen à nobis per comparationem ad corpora ſenſibilia, vt Angelus, per ſpeciem formoſi adoleſcentis.

19. *Diſtinguuntur ne realiter Intellectus, & Ratio. Intellectus ſpeculatiuus, & practicus, Ratio ſuperior, & inferior?* Sunt eadem omninò facultas, quæ vocatur *Intellectus*, in quantùm cognoſcit res, *Ratio*, in quantum cognoſcit diſcurrendo, id eſt deducendo vnum ab alio, quod eſt proprium Hominis, qui cùm ſit in infimo gradu intelligentium,

non

non poteſt concluſionem in principijs cognoſcere, ſed vnum poſt aliud, quod eſt diſcurrere, & ob id eſſentialiter eſt Rationalis: Appellatur *Intellectus ſpeculatiuus*, quatenus verſatur circa obiectum merè ſpeculabile? *Practicus*, prout eſt operabile: Vocatur *Ratio ſuperior*, quatenus in agendis reſpicit rationes æternas: *Ratio inferior*, prout reſpicit motiua inferiora, & rationes temporales.

20. *Daturne in parte intellectiua Memoria, ſicut in ſenſitiua?* Datur quidem, quia conſeruari debent ſpecies intelligibiles; debet etiam homo ferri in præterita; ergò debet dari potentia memoratiua, ſed non realiter diſtincta ab intellectiua; quia facultas intellectiua fertur ad omnia intelligibilia, abſtrahendo à quocunque tempore, ergò nòn debet dari alia facultas pro præteritis, & alia pro præſentibus. Nec etiam pro conſeruandis ſpeciebus, ſicut in ſenſitiua: quia facultates ſenſitiuæ ſunt affixæ organo corporali, quod exigit tale, vel tale temperamentum: facultates verò intellectiuæ non habent aliquod organum: ergò ex nullo capite poteſt Memoria realiter diſtingui ab intellectu, eſt igitur eadem facultas vtrumque præſtans.

De Intellectione.

21. QVænam concurrunt ad intellectionem actualem? Tria concurrunt, ſcilicet Potentia intellectiua, Species intelligibilis, quæ impreſſa dicitur, & Verbum mentis,

tis, quod ſpecies expreſſa appellatur. Requiritur facultas, ſcilicet *Intellectus*, quia omnis operatio fit à potentia ſua, tanquam à principio ſuo immediato, licet ab anima tanquam à radicali. Requiritur *ſpecies intelligibilis*, quia facultas cognoſcens fit in eſſe intelligibili id ipſum, quod intelligit; ait enim Ariſt. *Intellectus eſt fieri omnia*, quia omnia cognoſcit: non poteſt autem fieri id, quod cognoſcit, niſi habeat formam rei cognitæ, non quidem in eſſe naturali, quia eſt impoſſibile duas formas naturales eſſe in eodem ſubiecto, ergo in eſſe intentionali, per ſpeciem intelligibilem, quæ eſt formalis ſimilitudo obiecti, imò ipſum obiectũ in eſſe intentionali: ergo impoſſibile eſt intellectum aliquid intelligere, niſi informetur ſpecie intelligibili, à qua determinatur ad hoc potiùs, quàm illud intelligẽdum actu. Tandem inuenitur in intellectione actuali *verbũ mentis*, quia intellectus intelligendo ſibi loquitur, id eſt ſibi aliquid manifeſtat; ergo producit aliquid intra ſe, nempe expreſſionem rei conceptæ (vel rem ipſam eandem ſecundùm ſuum eſſe intentionale) tanquam terminum ſuæ conceptionis; quæ quidem expreſſio appellatur verbum mentis, comparationem ſumpta à verbo oris, quo exprimimus aliquid: dicitur etiam *fœtus*, ſeu *proles* intellectus, aut *partus*, comparatione accepta, à fæmina: ſicut enim per virtutem ſęminis redditur fæcunda fæmina, & prolem generat, ita intellectus, qui eſt potentia paſſiua, ex

virtute

virtute ſpeciei impreſſæ redditur potens ad producendum conceptum ſuum, tanquam propriam prolem. Potentia intellectiua, & ſpecies ſe habent ſicut cauſa intellectionis, ſed verbum eſt terminus.

22. *Diſtinguiturne actio intellectus, ſcilicet intellectio à verbo mentis?* Etiam, quia actio realiter diſtinguitur à ſuo termino realiter ab ea procedente: atqui verbum mentis eſt terminus intellectionis, intellectus enim intelligit, vt efformet expreſſionem rei intellectæ: Ergo. Itaque intellectio eſt id, *quo* intelligimus obiectum, tanquam *exprimente* illud; verbum mentis eſt id *quo* tanquam *expreſſo* intelligimus obiectum: licet aliundè verbum mentis ſit ipſum obiectum in eſſe repræſentatiuo, vt dictum eſt.

23. *Expreſſio verbi (quæ appellatur* DICTIO*) diſtinguiturne ab intellectione?* Non, quia licet omnis intellectio non ſit dictio V. G. intellectio Spiritus ſancti non eſt dictio, quia non producit verbum: tamen omnis Dictio eſt intellectio, quia eſt operatio intellectus; & dicere eſt quoddam intelligere, ſicut homo eſt quoddam animal. In creatis omnis intellectio Dictio eſt, excepta ſola viſione beatifica.

24. *Danturne variæ, & diſtinctæ intellectiones?* Dantur tres diſtinctæ, quę ſolent appellari tres mentis operationes *Simplex Apprehenſio, Iudicium,* & *Diſcurſus*, vt dictum eſt in Logica *c. 1. num. 23.* Hęc operationum diſtinctio, (quam etiam experimur) prouenit ex imper-

imperfectione Intellectus noſtri non valentis omnia ſtatim conſiderare, quæ ſunt in obiecto, ſed procedentis de imperfecto ad perfectum; & ita primò concipit rem ſimpliciter, nihil de ea affirmando, aut negando: poſtea vnum cognitum componit cum alio, vel diuidit, iudicando hoc eſſe illud, vel non eſſe; & tandem ex vno cognitio ad aliud cognoſcendum tendit; quod eſt diſcurrere, & ratiocinari. In Angelis verò, & Deo ſola ſimplex apprehenſio reperitur, quia vnico intuitu rem totam cognoſcunt. Sunt tamen tres dictæ operationes conceptus, & qualitates ſimplices in eſſe entis, licet dicant compoſitionem quandam artificialem, formatam ex pluribus cognitis; quæ tamen reperitur in ſecunda, & tertia operatione tantùm, non in prima, quæ ob id dicitur ſimplex.

De Appetitu rerum cognoſcentium.

35. D*Aturne Appetitus in rebus cognoſcentibus?* Etiam, quia ſicut ad formam naturalem ſequitur Appetitus innatus, ita ad formam intentionalem, ſequitur Appetitus elicitus; qui duplex eſt, nempè ſenſitiuus, & rationalis: Prior ſequitur cognitionem ſenſitiuam, Poſterior intellectiuam, appellaturque proprio nomine Voluntas. In communi autem APPETITVS EST INCLINATIO IN BONVM.

36. *Quotuplex eſt Appetitus ſenſitiuus?* Duplex, concupiſcibilis, & iraſcibilis, quia duplex

plex eſt eius obiectum formale; concupiſcibilis reſpicit bonum delectabile ſecundùm ſenſum ſub ratione conuenientis, iraſcibilis verò reſpicit idem bonum ſub ratione, ardui, & difficilis: concupiſcibilis ſe habet quaſi paſſiuè, iraſcibilis veluti actiuè: Concupiſcibilis reſidet in dextra parte cordis: Vbi eſt maior abundantia caloris, & humiditatis: iraſcibilis eſt in ſiniſtra, Vbi eſt maior abundantia caloris, & ſiccitatis, quam requirit hæc facultas. De motibus horum appetituum qui *Paſſiones Animæ* dicuntur, Sermo erit in Morali Philoſophia.

27. *Voluntas humana eſt diſtincta facultas ab Intellectu?* Ita planè: 1. Quia habet obiectum diuerſum ab illo, nempè *bonum* Intellectus *verum*: 2. Habet modum procedendi diuerſum, nam fertur ad res, exitque quodammodo extra ſe; Intellectus attrahit res ad ſe: 3. Voluntas eſt cæca, id eſt nihil appetit, niſi quod eſt ab intellectu cognitum, intellectus lumine naturali, & acquiſito gaudet: 4. Voluntas mouetur ab intellectu per modum finis, quia Intellectus ei præſentat obiectum eius, ſcilicet *bonum*; Intellectus mouetur à voluntate per modum agentis: vel Voluntas mouetur ab intellectu, quantùm ad ſpecificationem, ſed Intellectus mouetur à voluntate, quantùm ad exercitium, nam intelligimus, quando volumus: 5. Tandem Voluntas non eſt Prior Animæ rationalis facultas, ſed Intellectus, quia hoc ipſo, quod Anima eſt intellectiua debet habere facultatem intelligendi,

gendi, quam ſequitur naturaliter inclinatio in bonum cognitum: Ergo hæ duæ facultates debent eſſe diſtinctæ.

28. *Eſtne Nobilior facultas, quàm Intellectus?* Eſt quidem ſecundùm quid, ſed ſimpliciter Intellectus Nobilior eſt, & altior: quia illud eminentius eſt alio ſimpliciter, quando eſt tale ſecundùm ſe; ſecundùm quid autem, quando eſt tale per reſpectum ad alterum: atqui Intellectus eſt ſecundùm ſe altior, quàm Voluntas, quia obiectum Intellectus altius eſt, & nobilius obiecto voluntatis, nam eſt immaterialius, eo quod eſt abſtractius, & vniuerſalius: licet enim obiectum voluntatis ſit bonum, vt ſic, nunquam tamen fertur Voluntas in bonum, vt ſic, ſed in determinatum bonum, exiſtens à parte rei, vel ſaltem dicens ordinem ad exiſtentiam, à qua abſtrahit omninò obiectum Intellectus: ergo ſimpliciter altior eſt Intellectus, & Nobilior Voluntate, vt dicitur 10. *Etich.* Tamen ſecũdùm quid Voluntas eſt altior, per reſpectum nempè ad id, in quo inuenitur obiectum ſuum, ſcilicet bonum, & quod melius eſt amare, quam cognoſcere, nam melior eſt amor eorum, quæ ſupra nos ſunt, quàm eorum cognitio, ſicut è conuerſo melior eſt cognitio rerum, quæ infra nos ſunt, quàm earundem amor, ratio eſt, quia Intellectus habet res in ſe, Voluntas fertur ad res; ideò res ſuperiores ignobiliori modo cognoſcuntur, quàm amantur, cùm cognoſcantur ignobiliori modo, quàm

ſint,

ſint, amentur verò prout ſunt in ſe, & è conuerſo de rebus inferioribus: ergo ſecundùm quid, & per reſpectum ad rem, quæ amatur, Voluntas nobiliorem habet operationem, quàm Intellectus.

29. *Quænam ſunt actiones Voluntatis?* In genere duæ ſunt, ſcilicet *Volitio*, & *Nolitio*; Volitio circa bonum, Nolitio circa malum. In ſpecie plures ſunt, primò circa bonum vltimũ, nempè finem, tres ſunt, *Volitio*, *Fruitio*, & *Intentio*: volitio eſt finis, vt boni; Fruitio, Finis, vt termini; Intentio, Finis, vt medijs acquirendi. Circa bonum non vltimum, ſeu circa media, tres quoque ſunt, *Electio*, *Conſenſus*, & *Vſus*. Electio vnum medium alteri præfert; Conſenſus approbat medium electum, Vſus executioni mandat. Circa malum, non eſt niſi vna actio, ſcilicet *Nolitio*, ſeu Fuga: Ergo ſeptem tantùm ſunt actiones Voluntatis. Præterea voluntatis actus alij ſunt *Eliciti*, ij ſcilicet, qui immediatè procedunt ab ipſa, vt ſunt ſeptem prædicti: alij ſunt *imperati*, ij ſcilicet, qui procedunt à voluntate mediante alia facultate, à qua proximè exercentur, per imperium tamen voluntatis; & iſti ſunt omnes actus cæterarum potentiarum, excepta vegetatiua, quia cæteræ facultates (illa excepta) non exercent ſuas operationes, niſi quando volumus; ergo voluntas omnes imperat.

30. *Quiſnam eſt modus agendi voluntatis?* Agit, tùm neceſſariò, tùm liberè, aliquid neceſ-

neceſſariò vult, aliquid liberè. *Neceſſariò* Voluntas vult finem vltimum, qui eſt *beatitudo*. Nam neceſſarium illud eſt, quod non poteſt non eſſe; & hoc prouenit, vel ab intrinſeco principio, ſiuè *materiali*, ſiuè *formali*, & tunc eſt neceſſitas naturalis, & abſoluta: Vel ab extrinſeco *Fine* ſcilicet, vel *Agente*; Fine quidem, quando quis non poteſt conſequi finem ſine aliquo, dicitur illud neceſſarium, vt cibus ad vitam tuendam: ex Agente verò, quando per coactionem aliquid fit, dicitur neceſſarium, & vtrumque non abſolutè ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione alicuius. Ex his tribus neceſſitatibus vltima ſcilicet coactionis, nullomodo conuenit voluntati; quia coactum idem eſt ac violentum, quod omninò opponitur voluntario, nam violentum eſt contra inclinationem rei, voluntarium ſecundùm inclinationem rei, ergò impoſſibile eſt, quod aliquid ſit ſimul voluntarium, & coactum. Neceſſitas autem, finis non repugnat voluntati, vt cum vult nauim ad transfretandum. Nec tandem neceſſitas abſoluta, & naturalis voluntati repugnat; quia ſicut Intellectus inhæret primis principijs ex neceſſitate, ita voluntas ex neceſſitate hærere debet vltimo fini, quia finis eſt in operatiuis, ſicut principium in ſpeculatiuis; ergò debet finis eſſe quid primum, & fundamentum omnium aliorum: atqui, quod eſt primum in vnoquoque eſt ipſa natura rei, ergò Voluntatis Finis debet eſſe naturalis; præterea debet

eſſe

eſſe immobilis, quia omnis motus procedit ab aliquo immobili, omnes autem volitiones cæteræ procedunt à volitione finis: ergò volitio finis debet eſſe aliquid immobile. Præter vltimum finem, vel ea, quæ neceſſariam habent connexionem cum illo, nihil vult voluntas neceſſario, ſed *liberè*, ſe determinando per electionem huius, vel illius: quia ſicut intellectus non inhæret neceſſariò ijs, quæ ex principijs deducuntur, niſi ſint cognita per demonſtrationē, quæ oſtendit neceſſariam eorum connexionem cum principijs; ita nec voluntas vult neceſſariò, ea quæ neceſſariam non habent connexionem cum beatitudine: ſic licet Deus ſit, in quo ſolo vera beatitudo conſiſtat, tamen antequam per certitudinem diuinæ viſionis illud demonſtretur, voluntas non inhæret Deo ex neceſſitate, ſed liberè.

31. *Habetne voluntas perfectam libertatem?* Maximè, quia perfecta LIBERTAS EST FACVLTAS QVÆ POTEST SE MOVERE AD VTRVMLIBET, id eſt Libertas poteſtas eſt agendi, & non agendi, vel agendi hoc, vel illud. Sed voluntas hanc habet facultatem reuera circa bonum particulare quodlibet: Ergo habet veram libertatem. Probatur hæc Minor: quia ſicut Ratio circa contingentia habet viā ad oppoſita; vt patet in dialecticis, & rethoricis; ita Voluntas circa bona particularia ſe habet ad oppoſita, id eſt ad nullum eſt naturaliter determinata, ſed ſe determinat, (ſub diui-

na

na tamen determinatione, & præmotione) Hinc rectè colligitur Libertatem habere radicem, & cauſam ſuam in Iudicio rationis, indifferenti ad hoc vel illud: formaliter verò eſſe in Voluntate, quia voluntas eſt, quæ formaliter eligit, & ad agendum ſe determinat, ſed iudicium rationis ſequitur: Idcirco impoſſibile eſt, voluntatem non eſſe liberam formaliter, perſeuerante Iudicio illo indifferenti rationis: indifferenti inquam actiuè, non paſſiuè, id eſt voluntas ex iudicio illo ità ſe determinat ad vnum, vt potens ſit ad aliud ſe determinare: Ergo eſt verè libera.

32. *Libertas eſtne alia facultas à voluntate?* Eſt eadem cum illa ſicut Ratio cum intellectu, vt ſuprà num. 19. Voluntas vult finem, Libertas eligit media.

De Facultate Motiua.

33. Q*Votuplex eſt facultas loco motiua in viuentibus?* Duplicem aſſignat *D. Th. opuſc.* 35. Vna eſt purè naturalis, alia eſt animalis: Illa non dependet à cognitione, ſed ex ſolo impetu naturæ, qualis eſt motus dilatationis cordis, & motus quorundam animalium ſaxis affixorum, hæc verò ſequitur cognitionem, & apprehenſionem: eius actus eſt motus progreſſiuus, ambulando, volando, natando, reptando. Hæc facultas diſtinguitur ab appetitu, quia fatigari poteſt, nõ autẽ appetitus; & reſidet in toto corpore

pore præcipuè in cerebro, vbi ex imaginatione incipit motus, qui per neruos diffunditur ad partes mobiles: appetitiua verò in corde.

FINIS totius Phyſicæ.

METAPHYSICA

CAPVT I.

De Quidditate Metaphyſica.

1\. QVID eſt METAPHYSICA? Eſt ſcientia ſpeculatiua entis realis, vt ſic, ſecundùm rationem à materia quacunque abſtractam, cõmunem Deo, & creaturis. Dicitur *Scientia*, quia demonſtratiuè procedit oſtendendo proprietates de ſuo obiecto: *Speculatiua*, quia habet obiectum, finem, & modum procedendi merè ſpeculatiuum: *Entis realis*, quia ens rationis ſimilitudine tantùm ens eſt, ideò occaſionaliter, & ex conſequenti à Metaphyſica conſideratur, à Logica primò, & per ſe: *vt ſic*, id eſt communiſſimè ſumptum, nam aliæ ſcientię tractant de partibus Entis, ſeu de ſpecialibus quibuſdam entibus tantùm; Metaphyſica de ipſo Ente: *ſecundùm rationem ab omni materia abſtractam*, quia ratio entis, vt ſic inuenitur

uenitur in rebus omninò immaterialibus V. G. Deo, & Angelis; ergo Metaphyſica debet conſiderare Ens ſub omni abſtractione: Tandem additur *communem Deo, & creaturis*, quia Deus maximè habet rationem Entis, eiuſque proprietates, vnum, verum, bonum. Hinc facile colligitur Obiectum Metaphyſicæ eſſe *Ens ſub formali ratione Entis*, quæ eſt habere ESSE.

2. *Quare Metaphyſica appellatur Sapientia?* Quia iudicat de omnibus per altiſſimas cauſas, altiſſimas quidam, tùm in eſſendo, quia conſiderat primum Efficiens, & vltimum finem, quid eſt Deus; tùm in cognoſcendo, quia eius principia, ex quibus procedit in ſuis demonſtrationibus ſunt vniuerſaliſſima, & abſtractiſſima, eo quod obiectum eſt vniuerſaliſſimum.

3. *Eſtne dignior alijs?* Ita eſt, 1. quia eſt altior; 2. quia habet obiectum nobilius, vtpotè immaterialius, & abſtractius; 3. quia eſt certior, eo quod fundatur in primis principijs, lumine naturali cognitis.

4. *Eſtne vna ſpecie infima?* Etiam, quia obiectum eius formale ſcilicet Ens ſub ratione Entis eſt vnum ſpecie infima, quamquam obiectum materiale, ſcilicet Ens vniuerſaliter, ſit pluſquam genere diuerſum, & vnum tantùm analogicè.

CAPVT

CAPVT II.

De Ente.

5. QVid *eſt* ENS? Non poteſt propriè definiri, cùm non habeat ſuperius; Sed deſcribitur à *D. Th. opuſc.* 42. ENS EST CVIVS ACTVS, EST ESSE, vel id, cui competit Eſſe.

6. *Quænam eſt differentia inter Ens, & Eſſe?* Quod Eſſe, eſt abſtractum, Ens concretum; Eſſe eſt, *quo* aliquid eſt, Ens, *quod* eſt; Eſſe eſt veluti pars formalis, Ens totum Metaphyſicum, quo illa forma eſſendi conſtituitur, ſicut album albedine.

7. *Quotupliciter ſumitur Ens?* Dupliciter, nominaliter, & participaliter; *nominaliter*, ſignificat Eſſentiam rei; *participaliter* ſignificat Exiſtentiam (vel ſaltem compoſitionem rationis attributi cum ſubiecto, & veritatem propoſitionis, cuius nota eſt hoc verbum *Eſt*, vt cùm dicimus cæcitas eſt in oculo) Ens primo modo dictum eſt ens, ſecundo modo, ſed non è conuerſo: primo modo eſt prædicatum eſſentiale, & pertinet ad quæſt. *quid eſt*, ſecundo modo eſt prædicatum accidentale, & pertinet ad quæſt. *an eſt*. Prætereà ſumitur Ens Latè, & Strictè: *Latè* ſumptum opponitur ei, quod non eſt nihil; *ſtrictè* verò ſignificat tantùm id, *quod* eſt, non verò id, *quo* eſt; & ſic datur medium inter Ens, & nihil. *Ens* igitur importat in ſuo conceptu

id, quod habet *Eſſe*, ſiue illud ſit eſſentiæ, ſiue exiſtentiæ. (Intellige ſumptum in ampla, & lata ſua ſignificatione.)

8. *Conceptus Entis (obiectiuus, id eſt ratio Entis concepta) eſtne perfectè præciſus ab inferioribus?* Non, quia ille conceptus eſt perfectè præciſus ab inferioribus, qui non importat actu inferiora, ſed in potentia tantùm V. G. animal habet conceptum perfectè præciſum, quia in ſua ratione formali, dicit tantùm, viuens, ſenſibile, non verò rationale, aut irrationale, ſed eſt in potentia ad illas differentias: atqui Ens importat non in potentia, ſed in actu omnia ſua inferiora, quia includitur formaliter in differentijs omnibus, & formaliter de eis prædicatur, nam omnes differentiæ entis habent ipſam rationem Entis, alias nihil eſſent; Ergo Ens non habet conceptum perfectè præciſum ab inferioribus, & conſequenter, nec vnum eſſe poteſt ſimpliciter, ſed analogicè, & ſecundùm proportionem quandam, quia ratio Entis non inuenitur æqualiter in omnibus, ſicut ratio *Sani* non inuenitur vno modo in omnibus ſanis. Si Ens non eſt ſimpliciter vnum, nec eſt ſimpliciter ſuperius ad ſubſtantiam, & Accidens, quia omnes ſuperius eſt vniuerſale, & vniuerſale eſt vnum. Tandem, ſi non eſt vniuerſale, nec genus eſſe poteſt, vt multoties aſſerunt Ariſt., & D. Th. Ille 3. *Metaph. t.* 10. hic 1. *p. q.* 3. *a.* 5. De Analogia Entis dictum eſt *in Logica, cap. de Categ. num.* 27.

9. *Con-*

9. *Conceptus Entis importatne inferiora explicitè?* Non, ſed implicitè, aliàs eſſet nugatio, dicendo V. G. ſubſtantia eſt Ens, ſic enim idem omninò de ſe ipſo prædicaretur: licet igitur actu Ens dicat ſubſtantiam, & Accidens, non tamen explicitè: ideò dicitur ille conceptus vnus ſecundùm quid.

10. *Ens eſtne tranſcendens?* Etiam, quia illud eſt tranſcendens, quod eſt de eſſentia rerum omnium, ita vt nihil in eis inueniatur, de quo formaliter non prædicetur: atqui Ens eſt huiuſmodi, vt patet: Ergo.

11. *Quot ſunt tranſcendentia?* Quatuor, *Ens*, *Vnum*, *Verum*, *Bonum:* nam Res, & Aliquid non differunt ab Ente, etiã, ratione, quemadmodum quatuor prædicta differunt.

12. *Recita varias acceptiones, & diuiſiones Entis? Primò* diuiditur Ens, in reale, & rationis; hoc habet tantùm eſſe aliquod fictum, & formatum ab intellectu: *illud* reuera eſt aliquid in rerum natura. *Secundò*, Ens reale diuiditur in Ens infinitum, & finitum, ſeu increatum, & creatum: quia omnes Ens eſt, vel à ſe, vel ab alio; ſi à ſe, eſt increatum, quod eſt Deus: ſi ab alio, eſt creatum, & dicitur creatura. *Tertiò*, Ens reale finitum diuiditur in potentiam, & Actum: *Potentia* eſt quid perfectibile, *Actus* eſt dans perfectionem. *Ens* in potentia diuiditur in Phyſicum, & metaphyſicum; *Phyſicum* eſt materia prima, cuius actus eſt forma ſubſtantialis. *Metaphyſicum* eſt Genus, cuius actus eſt differentia, quoquo modo ſumatur genus, &

 diffe-

differentia, latè, vel ſtrictè. *Quartò* diuiditur in *Ens per ſe*, quod vnicum habet actu, & *Ens per accidens*, quod conſtat pluribus entibus in actu, vt domus, aceruus. Ens per ſe diuiditur in *decem prędicamenta*, ſeu *ſubſtantiam*, & *accidens*. *Quintò*, diuiditur in *Ens ſimpliciter*, vt eſt Deus reſpectu creaturę, ſubſtantia reſpectu accidentis, Ens reale reſpectu entis rationis; & *Ens ſecundum quid*, id eſt diminutum, & ad ſimilitudinem alterius, vt creatura reſpectu Dei &c. *Sextò*, in *Ens completum*, quod totam in ſe habet ſuam perfectionem, vt homo; & *incompletum*, quod non niſi cum alio totam habet ſuam perfectionem, vt anima. Plures ſunt aliæ minus præcipuæ Entis diuiſiones, quæ paſſim in Philoſophia reperiuntur, ſecundùm, quod materiarum exigit tractatio.

CAPVT III.

De Principijs Entis.

33. Q*Vęnam ſunt Entis principia?* Ea ſunt, ex quibus Ens, aut fit, aut conſtat, aut cognoſcitur: quorum alia ſunt complexa, quæ pluribus vocibus efferuntur, vt propoſitiones vniuerſaliſſimæ Metaphyſicæ: alia incomplexa, quæ vnica tantùm, vt *actus*, *potentia* &c.

14. *Quænam ſunt principia, ex quibus Ens cognoſcitur?* Sunt quędam propoſitiones vniuerſaliſſimę manifeſtantes Ens, eiuſque proprieta-

prietates, naturali lumine cognitæ; & ex quarum veritate dependent omnia, quæ de Ente dicuntur: ſunt autem hæ: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe: Quodlibet eſt, vel non eſt: De quolibet vera eſt affirmatio, vel negatio: Omne Ens eſt vnum, verum, bonum:* & cæteræ omnes definitiones, quæ in Metaphyſica traduntur, dicuntur principia entis in cognoſcendo. Ratio eſt, quia principia alicuius ſcientiæ debent eſſe æquè abſtracta, ac ipſum obiectum: atqui Ens, quod eſt obiectum Metaphyſicæ, eſt maximè abſtractum, & maximè vniuerſale: ergo, & principia debēt eſſe vniuerſaliſſima, cuiuſmodi ſunt tria priora prædicta, ex quibus reliqua prudent.

15. *Quænam ſunt principia, ex quibus Ens conſtat, & componitur? Primò* conſtat actu, & Potentia (intellige in creatis, nam Deus nullum habet principium ſui eſſe) Quia omne Ens creatum habet eſſe receptum in aliqua eſſentia, cùm non ſit ſuum Eſſe: ergo habet aliquid per modum *potētię recipientis*, & aliquid per modum *actus recepti:* vnde, ſicut omne Ens Phyſicum conſtat materia, & forma, ita, & omne Ens Metaphyſicum conſtat potentia, & actu. *Secundò* conſtat Genere, & Differentia, id eſt aliquo gradu communi, & limitabili, & conſequenter potentiali; & aliquo gradu limitante, & perficiente, & conſequenter actuali: primus gradus dicitur *genericus*, alter *differentialis;* cùm ergo omne ens creatum habeat potētiam, & actum, habet quoque Genus, & differentiam.

Tertiò cõſtat ex Eſſentia, ſeu Natura, & Subſiſtentia: *Eſſentia* eſt id, quod res eſt intrinſecè, & ſecundùm ſe, V.G. Animal rationale eſt eſſentia hominis: *Subſiſtentia* verò eſt terminus ſubſtantialis naturæ, reddens ipſam incommunicabilem; nam Eſſentia de ſe eſt indifferens ad hoc, vt ſit in illo, vel illo termino, V.G. natura humana, vt ſit in Petro, vel Paulo, cum poſſit omnibus cõmunicari; at verò ſubſiſtẽtia terminando ipſam, reddit eam incõmunicabilem alteri termino, & ſic quaſi in ſe ſiſtẽs, ſeu ſubſiſtẽs dicitur. *Quartò* conſtat ex Eſſentia, & Eſſe, ſeu Exiſtentia; quia debet natura per terminũ ſuum intrinſecum, non ſolùm reddi incommunicabilis alteri; ſed etiã debet omninò poni extra cauſas; hæc autem poſitio eſt *Exiſtentia*, ergo Ens etiam conſtat exiſtentia. *Quintò* tandem cõſtat Ens ſubiecto, & Accidente: nam creaturæ habent quaſdam perfectiones, quæ non ſunt de Eſſentia, (ſolus enim Deus habet perfectiones ſuas eſſentiales,) & hæ vocantur *Accidentia*, quia accidunt, & adueniunt rei iam conſtitutæ in ſuo eſſe ſubſtantiali, ergo ſubſtantia rei eſt ipſorum *ſubiectum*. Sunt igitur quinque compoſitiones Metaphyſicæ: *prima* ex potentia, & actu conuenit Enti, vt cõdiuiditur contra Ens increatum, quod eſt purus Actus, nullam dicent potentialitatem, eo quod potentialitas imperfectionem nominat. *Secunda* ex genere, & differentia conuenit Enti vt finito; quia genus, & differẽtia ſunt veluti limites illud finientes,

tes, *Tertia* ex Eſſentia, & ſubſiſtentia conuenit Enti ſubſiſtenti, ſeu ſubſtantię ſingulari, quæ propriè dicitur *Suppoſitum*, vel ſi ſit in Natura intellectuali, *Perſona* nuncupatur, quæ à Boetio definitur *intellectualis Naturę indiuidua ſubſtantia*. *Quarta* ex Eſſentia, & Exiſtentia conuenit Enti, realiter in rerum natura exiſtenti, vt Roſa verno tempore: *Quinta* tandem ex ſubiecto, & accidente conuenit Enti, accidentaliter denominato, vt album muſicum. Ens ſine accidente dicitur *eſſentiale*: Ens ſine Exiſtentia appellatur *poſſibile*: Ens ſine ſuppoſito proprio, vel alieno, eſt *commune* vel *vniuerſale*: Ens genericum ſine differentia eſt gradus, ſeu perfectio quædam *potentialis*: Tandem Ens ſine vllo actu eſt omnium imperfectiſſimum, & prope nihil, ſicut Ens abſque vlla potentia omnium perfectiſſimum eſt.

16. *Subſiſtentia, & Exiſtentia ſuntne aliquid reale ſuperadditum Naturæ, vel Eſſentiæ rei?* Sunt modi reales naturę ſecundum ſe conſideratæ aduenientes; quia habent effectus reales, nam ſubſiſtere in ſe incommunicabiliter eſt aliquid reale, eo, quod, natura reipſa ſe habet alio modo, dum redditur poſitiuè incommunicabilis, quàm dum eſt communicabilis; ergo redditur talis per aliquid reale, & poſitiuum, quod vocatur ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtentia: ſimiliter poni extra omnes cauſas eſt aliquid reale, & poſitiuum; non enim omnes naturæ ſunt extra cauſas; ergo, quando ſunt, alio reali modo ſe habent,

quàm anteà, ergo exiſtentia debet eſſe aliquis modus realis naturæ. Subſiſtentia prouenit à principijs intrinſecis Eſſentiæ, Exiſtentia ab extriſecis nempe à Cauſa Efficiente, mota à Fine. Subſiſtentia conuenit tantùm naturæ ſubſtantiali, Exiſtentia verò, tùm ſubſtantiali, tùm accidentali.

17. *Subſiſtentia, & Exiſtentia diſtinguũturne realiter ab eſſentia, ſeù Natura rei?* Etiam, quia modus diſtinguitur à re cuius eſt modus. Deinde ſubſiſtentia non eſt de Eſſentia cuiuſcunque rei creatæ: non enim in conceptu naturæ humanæ V.G. importatur perſona hominis, aliàs Verbum diuinum non aſſumpſiſſet totam naturam humanam, quià non aſſumpſit perſonam humanam; quod eſſet Hæreticum proferre: ergo reuera ſubſiſtentia eſt aliquid præter naturam. A fortiori Exiſtentia, quæ eſt omninò accidentalis cuilibet creaturæ, & ſoli Deo eſſentialis. Tandem, actualis ſeparatio ſignum eſt realis diſtinctionis, atqui in myſterio Incarnationis realiter ſeparata eſt natura Humana Chriſti à ſua propria ſubſiſtentia, & exiſtentia, in quarum locum ſuffectæ ſunt ſubſiſtentia, & Exiſtentia verbi: ergo reuera diſtingui debent à natura rei, ſubſiſtentia eius, ac Exiſtentia.

18. *Suntne plurimæ partiales Subſiſtentiæ, & Exiſtentiæ in eodem Compoſito?* Non, ſed ſufficit vnica: quia, cùm ſit Totius fieri, & eſſe, illius etiam erit ſubſiſtere, & exiſtere, non verò partium: ergo partes, non habebunt

bunt diſtinctam ſubſiſtentiam, & Exiſtentiam à Toto, ſed eandem; ergo vnicam.

19. *Exiſtentia Accidentis eſtne ipſa eius inhærentia?* Non, quia poteſt exiſtere accidens, vt de facto exiſtit in myſterio Euchariſtiæ, & tamen non inhæret actu (licet aptitudinaliter inhæreat, eo quod eſſentialem ordinem dicit ad ſubſtantiam, ſcilicet panis, & vini:) Ergo exiſtentia eius non eſt inhærentia.

20. *Quodnam eſt principium Entis, à quo ſit?* Solus DEVS poteſt eſſe principium effectiuum omnis Entis; quia principium Efficiens debet eſſe in actu reſpectu eius, quod ſit ab eo; ergo principium effectiuum omniū debet eſſe in actu, reſpectu omnium: ſed ſolus Deus eſt huiuſmodi, quia ſolus Deus eſt maximè actu, cùm ſit primum Ens: Ergo ipſe ſolus poteſt eſſe principium, & cauſa omnis Entis.

CAPVT IV.

De Proprietatibus Entis.

21. QVænam ſunt proprietates Entis? Hæ tres, *vnum*, *verum*, *Bonum*: non quidem reales, id eſt realiter ab ipſo diſtinctæ, quia nihil reale poteſt addi ſupra Ens: ſed reales, id eſt realiter demõſtrabiles, & conſequenter veræ, & legitimæ, ſic autem demonſtrantur. *Prima*: OMNE INDIVISVM IN SE, ET DIVISVM A QVOLIBET

ALIO EST VNVM: atqui omne Ens eſt huiuſmodi, quia, vel eſt ſimplex, vel compoſitum; ſi ſimplex, ergo indiuiſum: ſi compoſitum, partes habet vnitas, & conſequenter eſt actualiter indiuiſum: Ergo omne Ens eſt vnum *Secunda*: OMNE QVOD HABET CONFORMITATEM AD INTELLECTVM EST VERVM, nã veritas eſt talis conformitas & adæquatio rei, & intellectus: atqui omne Ens habet hãc adęquationẽ, & conformitatẽ: quia duplex eſt intellectus, ſcilicet diuinus, & creatus, diuinus eſt factiuus rerum, eo quod Deus eſt agens per intellectum, ergo veritas rerum ab intellectu diuino dependet, & in tantùm veræ ſunt, in quantùm ſunt expreſſiones idearum, quas habet in intellectu: Intellectus verò creatus non eſt factiuus rerum, ſed tantùm cognoſcitiuus, ſupponens rem iam eſſe, ideò rerum veritas nõ dependet ab illius intellectu, imò veritas formalis intellectus creati à rerũ veritate dependet, & in tantùm dicitur verum apprehẽdere, in quãtùm rebus cõformatur, nempe cùm cognoſcit eo modo, quo res eſt. Ergo omne ens debet dici verum. *Tertia* tandẽ: OMNE APPETIBILE EST BONVM, bonum enim eſt obiectum appetitus: atqui omne Ens eſt appetibile; quia habet aliquam perfectionem, nempè aliquam entitatem, & actualitatem, quæ imperfectioni nihili opponitur: ergo omne ens eſt bonum.

22. *Quomodo hę proprietates ab Ente diſtinguuntur?* Ratione ratiocinata, & cum fundamento

mento in re, quia diuerſis conceptibus apprehenduntur, propter diuerſas formaliter quibus illas exprimimus V. G. conceptus *Vnius* licet ſecundùm rem dicat eandem entitatem, ac Ens, tamen formaliter exprimit indiuiſionem, quam non importat formaliter Ens: conceptus *veri* exprimit ordinem ad intellectum: conceptus *boni* ordinem ad appetitum, vel finem: Ergo cùm hæ proprietates non diſtinguantur, realiter, & per aliquid reale ſuperadditum, ſufficiens eſt fundamentum, vt ratione ratiocinata diſtinguantur, tùm ab Ente, tùm inter ſe.

23. *Quomodo ſe habent vnùm, & multa?* Se habent priuatiuè, quia multitudo importat priuationem diuiſionis, quæ multitudinem cauſat: igitur non ſe habent contradictoriè, quia non ſe totaliter deſtruunt, nec contrariè, quia non ſe mutuò expellunt; nec relatiuè cum primariò non dicant relationem ad inuicem, ſed priuatiuè.

24. *Quodnam eſt principium, ex quo res habent ſuam vnitatem, ſeu indiuiduationem?* PRINCIPIVM INDIVIDVATIONIS in ſubſtantijs ſeparatis eſt ipſamet natura ſpecifica, quia vbi non eſt materia, nõ poteſt ſumi vnitas, niſi à forma, quæ dat ſpeciem, & ita ab eodem ſumitur natura ſpecifica, & indiuiduatio eius: atqui Angeli nõ habent materiã, ergo indiuiduantur à ſola natura ſpecifica. *In ſubſtantijs*, verò *materialibus*, principium primum, & radicale indiuiduationis eſt *Materia ſignata quantitate*. Quia indiui-

duatio debet ſumi ab aliquo pertinente ad ſubſtantiam rei, eo quod indiuiduum eſt in genere ſubſtantiæ: atqui non poteſt ſumi à forma, quia forma receptibilis in materia, nõ eſt *hæc*, niſi per ordinem ad hanc materiam (forma enim dicit eſſentialem ordinem ad materiam:) deinde forma ſecundùm ſe facit differre eſſentialiter, non indiuidualiter intra eandẽ ſpeciem: Nec etiam à materia nuda, quia ſic ſumpta eſt indifferens ad talem, vel talem formam, aut accidens: Ergo ſumi debet ab ipſa, prout eſt ſignata, & veluti ſigillata per quantitatem, quæ diuidit materiam à materia, & cõſequenter facit (vt quo) quid indiuisũ in ſe, & diuiſum ab alio, quod appellatur *Singulare, Indiuiduum, Vnum, Hoc aliquid, & Tale numero*: materia verò ſignata quantitate erit primum, & radicale principium faciens, (vt quod) indiuiduum, & ſingulare. Principium verò proximum indiuiduationis eſt *hæcceitas*, ſeu differentia indiuidualis, ſed hęc differentia indiuidualis à materia ſignata habetur, quia eſt principiũ indiuiduationis Metaphyſicum, quod fundari debet in principio Phyſico. Itaq; forma ſubſtantialis eſt *Hæc*, quia recipitur in *Hac* materia; & materia eſt *Hæc*, quia habet, vel connotat talem quantitatem: denique quantitas eſt *Hæc* per ſeipſam, quia eſt primum principium diuiſionis ab alio. Tandem *In accidentibus principium indiuiduationis eſt ſubiectum*, in quo ſunt; quia, vt dictum eſt, differentia indiuidualis ſumitur à materia, ſicut

ſpeci-

ſpecifica à forma:ſubiectum autem eſt materia, in qua ſunt accidentia, quia ſunt quædam perfectiones ſubiecti, ergo à ſubiecto debent indiuiduari, ſicque implicat duo accidentia ſolo numero diſtincta, eſſe in eodem ſubiecto.

25. *Quotuplex eſt rerum veritas?* Duplex, *fundamentalis, & formalis:* prima eſt in rebus per conformitatem ad intellectum diuinum, primariò, & ſecundariò ad creatum: ſecunda eſt in ipſo intellectu cognoſcente hanc conformitatem: prima vocatur in eſſendo, ſecunda in cognoſcendo.

26. *Habentne Creaturæ Bonitatem per eſſentiam?* Non, ſed ſolus Deus, quia ſolus Deus habet bonitatem imparticipatam, creatura verò per participationem. Poſſunt tamen dici bonæ per eſſentiam, id eſt quòd earum eſſentia eſt bona, cùm ſit quædam participatio diuinæ bonitatis,& perfectionis: ſed hæc bonitas eſt imperfecta, quia completa bonitas petitur ab exiſtentia; nulli autem creaturæ debetur exiſtentia, ergo per eſſentiam non habent bonitatem completam.

CAPVT V.

De partibus Entis, & primò de Ente increato qui eſt Deus.

27. POſſimusne naturaliter cognoſcere DEVM *eſſe?* Poſſumus,& quidē demonſtrationibus plurimis. *Prima* eſt, quæ ſumitur

tur ex motu, vt declaratum eſt 8.*Phyſ.Secũda* deducitur ex cauſa efficiente ſic: Omne, quod eſt, vel productum eſt ab aliquo, vel non; ſi improductum, eſt ens à ſe, & perfectiſſimum, & illud eſt Deus: ſi productum, ergo ab alio, quia nihil ſeipſum facit, aliàs eſſet antequam eſſet, quod implicat: ergo eſt ab alio productum: atqui, quod omnia producit eſt cauſa prima, ergo datur cauſa prima, quę Deus eſt. *Tertia* ex poſſibili, & neceſſariò, ſic: Nõ poſſunt omnia entia eſſe poſſibilia tantùm, quia quod poſſibile eſt eſſe, aliquando non eſt, ſi igitur omnia eſſent poſſibilia tantùm, aliquãdo nihil eſſet; quod eſt maximum inconueniens: Ergo debet eſſe aliquod Ens neceſſarium: atqui illud eſt Deus; Ergo. *Quarta* ex gradibus Entis, ſic: inuenitur aliquid magis participare rationẽ entis, & aliquid minus, ergo debet dari aliquid, quod ſit maximè Ens, ſicut, quia inuenitur aliquid magis, vel minus calidum, datur aliquid ſummè calidum: atqui, quod habet maximè rationem Entis eſt Deus: Ergo. *Quinta* ex gubernatione Mundi, ſic: omnia dirigi debent in vnum finem, ergo debet dari aliquid vnum, quod omnia dirigat in finem, & illud Deum dicimus. Tandem conuincitur dari *ſupremum Numẽ* ex ipſo inſtinctu naturali, quia experiuntur omnes, dum aliquod, imminet graue periculum, ſe ad Numen illud recurrere, vt eius ope erui poſſunt à tanto periculo, à quo nullus hominum valet liberare, (naturale enim eſt, aliquem ad ſui conſeruationem

adciſ-

adciſcere, quando grauis vrget neceſſitas:) Ergo tunc naturæ vox eſt, Deum eſſe clamantis. Ergo naturaliter cognoſci poteſt diuina exiſtentia, ſeu DEVM ESSE.

28. *Poſſumusne cognoſcere de Deo quid ſit?* Non poſſumus perfectè quia cùm omnis noſtra naturalis cognitio ex sẽſibus oriatur, & ex effectibus ad cognitionem cauſæ aſſurgamus, nullus eſt effectus, qui poſſit perfectè Deũ repreſentare. Ergo non niſi imperfectè Deum valemus agnoſcere Lumine naturali: idcircò varijs deſcriptionibus diuinam quodammodo exprimere naturam Philoſophi conati ſunt. *Thales Mileſius*, (referente Cic. *de nat. Deor. lib.* 1.) dixit, DEVM eſſe MENTEM, quæ ex aqua cuncta fingeret. *Anaximenes* AERA Deum ſtatuit immensũ, infinitum, & sẽper in motu. *Anaxagoras* MENTEM infinitã, cuius vi, ac ratione res omnes modũ haberent. *Pythagoras* ANIMVM per naturam rerum omnem, intentum, & commeantem, ex quo animi noſtri carperentur. *Parmenides* CORONAM quandam continentẽ ardore lucis totum orbẽ. *Speuſippus* VIM quandam, qua omnia regantur. *Zeno* RATIONEM quandam, per omnẽ pertinentẽ naturã putat. *Cleanthes* ARDOREM vndique circunfuſum, & omnia cingentem. *Ariſtoteles* MENTEM incorporeã, replicatione quadam Mundi motum regentẽ. *Plato* quid ſit omninò Deus, inquiri oportere non cẽſet. *Simonides* quęſitus à Tyranoe Hyerone quid eſſet Deus, petiuit vnũ diem, poſtridie

die biduum petiuit, cùm ſæpiùs duplicaret numerum dierum, admiranſqueHyero quęreret, cur ita faceret, reſpondit, quia *quantò diutiùs conſidero, tantò res mihi videtur obſcurior*. *Epicurus* Deum facit æternum, beatumque, ſed non habere negotij quicquam, nec exhibere alteri, nullis occupationibus implicatum, nullaq; moliri opera: nihil enim melius ac beatius ceſſatione, & quiete exiſtimabat, Epicurus. Hæc ſunt variæ Philoſophorum antiquorum de Deo ſententiæ, diuinam eius eſſentiam adumbrãtes. Sed Philoſophi Chriſtiani triplicẽ viam naturaliter cognoſcendi Deum edocent, prima eſt *via cauſalitatis*, quando viſis naturæ effectibus aſſurgimus ad ſumi opificis cognitionem; vt aſſerit A poſt. *Rom.* 1. *Inuiſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Secunda eſt *via Eminẽtiæ*, cũ attribuimus Deo quidquid perfectionis eſt in creaturis, ſic DEVM dicimus, *quo nihil melius, nihil perfectius excogitari poteſt*. Tertia eſt *via remotionis*, quando remouemus à Deo omnis rerum creatarum imperfectiones; ſic dicimus DEVM eſſe immenſum, infinitum &c., quia imperfectio quædam eſt habere quoſcunque limites; & hæc via nobis notior eſt, quia potiùs quid non ſit Deus, quàm quid ſit cognoſcimus.

29. *Quænam ſunt præcipua Attributa, quæ de Deo naturali lumine cognoſcere poſſumus?* Per primã viam agnoſcimus Deum *primum Motorẽ*, omnia moderantem, & diſponentẽ; *primam cauſam*, omnia producentem, & conſeruan-

ſeruantem; *primum Ens*, maximè neceſſariũ cauſans eſſe omnium, quia primum in vnoquoque genere eſt cauſa cæterorum. Per ſecundam viam agnoſcimus Deum eſſe *Viuentem, Intelligentem, Sapientẽ, Prouidentem, Bonum, & Iuſtum;* quia primum Ens, debet eſſe maximè perfectum, ergo habere debet perfectiones omnes, quę imperfectionem non important in ſuo conceptu: atqui prædicta attributa dicunt perfectionem ſine imperfectione: Ergo conueniunt Deo. Quod dicant perfectionẽ per ſe, patet, nã viuens, in quantũ viuens, ſanè perfectius eſt nõ viuẽte, quocunque: & idem dicendum de alijs attributis. Tandem per tertiam viam cognoſcimus Deum eſſe *Actum purum, Simplicem, Infinitum, Omnipotentem, Immenſum, Immutabilem, Æternum* & *Vnum:* Quia remouens à Deo quinque imperfectiones, quæ in creaturis reperiuntur, potentialitatem, compoſitionem, terminationem, mutabilitatem, & diuiſionem. *Potentialitas* eſt prima omnium imperfectionum, quià dicit carentiam actus, qui eſt prima perfectio: ergo Deus debet dici Actus puriſſimus, *Compoſitio* imperfectionem dicit, quia aliqua partium ſe habet, vt potentia; Ergo Deus nullam habere debet compoſitionem, nec ex partibus quantitatiuis, nec ex materia, & forma, nec ex genere, & differentia, nec ex ſubiecto, & accidente, nec ex Eſſentia, & ſubiecto, nec denique ex Eſſentia, & Eſſe, ſeu ex (quo) eſt, & (quod) eſt; ideò

æquè

æquè poſſumus dicere Deus eſt vita, bonitas, ac Deus eſt viuens, bonus &c. ergo eſt maximè ſimplex. *Terminatio* imperfectionem dicit, quia virtus limitata, & ad aliquid determinata, eſt multo imperfectior, quàm ea, quæ ad omnia ſe extendit: Ergo Deus nullam limitationem admittere debet in eſſentia, & ſic eſt Infinitus: nec reſpectu loci, & ſic eſt Immenſus; nec reſpectu ſuæ virtutis, & ſic eſt Omnipotens; nec reſpectu ſuæ durationis, & ſic eſt Æternus. *Mutabilitas* habet imperfectionem annexam, quia dicit perfectionem aliquam poſſe mutatione acquiri, quod non poteſt eſſe in ente perfectiſſimo: Ergo Deus eſt omninò immutabilis. Tandem *Diuiſio* naturæ alicuius in plura indiuidua imperfectionem habet, eo quod impoſſibile eſt, quod eædem omninò ſint perfectiones in vno, ac in altero: ergo impoſſibile eſt, quod Deus non ſit maximè vnus.

30. *Deus, Mundus ſimul ſuntne aliquid perfectius Deo ſolo?* Non ſunt quid perfectius intenſiuè, quia nullus eſt gradus bonitatis, & perfectionis in Mundo, qui non contineatur in Deo: nec etiam, quid perfectius extenſiuè propriè, quia perfectio, & bonitas non eſt magis extenſa niſi ratione eiuſdem ſubiecti, atqui Deus & creatura non ſunt idem ſubiectum: ergo extenſio non eſt, niſi impropriè tantùm.

CAPVT

CAPVT VI.

De Angelis.

31. *QVomodo diuiditur Ens creatum?* in ſubſtantiam, & Accidens, de quibus actum eſt in Logica. Subſtantia verò diuiditur in ſpiritualem,& corporalem; hęc pertinet ad Phyſicam, illa verò eſt conſiderationis Metaphyſicæ, quia obiectum Metaphyſicæ abſtrahit ab omni materia.

32. *Quomodo probatur dari ſubſtantiam ſpiritualem, omninò à materia ſeparatam?* Quia perfectio vniuerſi conſiſtit in aſſimilatione ad Deum, qui eſt agens per intellectum: Ergo debet dari aliquis effectus ſimilis illi in forma, per quam agit, ſcilicet in intellectu, agens enim aſſimilat effectum ſibi in forma, qua agit: Ergo debet dari aliqua creatura intellectualis, ſed non poteſt eſſe perfectè intellectualis, niſi ſit à materia ſeparata, & ſpiritualis, quia materia impedit intellectionem: ergo debet dari huiuſmodi natura. Ex quo mira rerum ordinatio in vniuerſo cõſurgit, quia ſic eſt aliqua creatura infima, aliqua media, altera ſuprema. Prima aſſimilatur Deo in primo gradu Entis tantùm ſcilicet in *Eſſe*, & hæc eſt natura omninò corporalis: Secunda Deo ſimilis in ſecundo gradu, ſcilicet in *viuere*, & hæc natura eſt quidem corporalis, ſed animata: Tertia denique Deo aſſimilatur in tertiò gradu ſcili-

cet

in *intelligere*; & hæc debet habere aliquam immaterialitatem, vt homo, & Angelus: ſed homo non habet perfectam immaterialitatem, eo quod habet corpus: Ergo ſicut datur natura omninò materialis V. G. lapis, planta; & natura quædam media, nempe homo, materialis ſecundùm corpus, & immaterialis ſecundùm animam; ita debet eſſe aliqua natura omninò ſeparata, & ſubſiſtens ſine materia.

33. *Quomodo vocatur hæc natura intelligens, & immaterialis?* Solet appellari à Phyloſophis *Intelligentia* ab eius perfectiſſima operatione, in ſcripturis ſacris appellatur *Spiritus* ab eius immaterialitate, & *Angelus* à miniſterio: vtitur enim Deus Angelis ad regendam totam naturam corporalem, & ad ſuas exequendas voluntates.

34. *Suntne plures huiuſmodi naturæ intelligentes, ſeu Angeli?* Maximè, quia nullum inuenitur genus rerum creatarum, quod nõ contineat plures ſpecies, & indiuidua ſub ſe: eo quod multiplicatio in rebus creatis neceſſaria eſt ad manifeſtandam diuinam perfectionem, quæ indiuiſibilis eſt, quidem in Deo, ſed in creaturis diuiditur, iuxtà hanc regulam, *Quę ſunt vnita in ſuperioribus, ſunt diuiſa in inferioribus:* Ergo neceſſe eſt, vt in genere naturæ intelligentis, & immaterialis ſint plures gradus, & ſpecies, pluraque indiuidua. Plato tot poſuit ſubſtantias ſeparatas, quot ſpecies rerum ſenſibilium, quas & Ideaș nominauit: ſed hanc poſi-

poſitionem reijcit Ariſt. eo quod Materia eſt de natura rerum ſenſibilium. Ariſt. tot poſuit Intelligentias ſeparatas, quot motus cælorum. Sed Scriptura Sacra innumerabilem Angelorum multitudinem aſtruit *Dan. 7. millia millium miniſtrabant ei:* (Vbi ponitur numerus certus pro incerto.) Ratio eſt, quia quantò aliqua ſunt perfectiora, tantò in maiori exceſſu creata ſunt à Deo: ſicut autem in corporibus attenditur exceſſus ſecundùm magnitudinem, ob idque Cœli molem maximam habent, quia ſunt perfectiora corpora: ita in incorporeis poteſt attendi exceſſus ſecundum multitudinem: Ergo rationale eſt, dicere ſubſtantias immateriales nempe Angelos eſſe in aliquo maximo numero excedente omnem rerum materialium multitudinem. Hinc præclarè ait D. Dionyſ. *c.* 14. *Cæleſt. Hierar. Multi ſunt beati exercitus ſupernarum mentium, infirmam, & conſtrictam excedentes noſtrorum materialium numerorum commenſurationem.*

35. *Suntne plures Angeli eiuſdem ſpeciei?* Nequaquam, ſed vnuſquiſque ſuam conſtituit ſpeciem; *Primò*, quià formæ abſtractæ habent totam perfectionem ſuæ ſpeciei, eo quod nihil habent, quod eas limitet, ſola enim Materia facit limitationem, vnde ait D. Th. ſi albedo eſſet abſtracta non poſſet eſſe niſi vna, quia haberet totam rationem albedinis; atqui Angeli ſunt formæ abſtractæ, & ſeparatæ naturaliter à Materia, ergo debent habere totam perfectionem ſuæ ſpeciei;

ciei; quamobrem dicuntur Angeli infiniti inferiùs, quia non habent infra ſpeciem, per quid finiantur, ſed finiti ſuperiùs, quia eorum natura eſt in aliquo genere, per quod finitur. *Secundò* Indiuiduorum Multiplicatio non eſt per ſe intenta à natura, ſed ſolùm ad conſeruationem ſpeciei, quando eius Indiuidua ſunt corruptibilia, vno enim alteri ſuccedente, ſpecies conſeruatur, ſed quando indiuidua non ſunt corruptibilia, non intenditur eorum Multiplicatio, idcirco eſt tantum vnus Sol, vna Luna &c. Quia huiuſmodi perire nequeunt: atqui Angeli multo magis ſunt incorruptibiles, quàm Aſtrea; ergo eorum Multiplicatio indiuidualis intra eandem ſpeciem non poteſt eſſe intenta à natura. *Tertiò* tandem, quia Materia facit multiplicationem indiuiduorum eiuſdem ſpeciei: atqui Materia in Angelis non eſt: Ergo.

36. *Quomodo intelligunt Angeli?* Per ſpecies naturaliter inditas, quia ſunt ſubſtantiæ actu intelligentes, & conſequenter ſemper ſpecies habere debent, non acceptas à rebus, ſicut in hominibus, ſed naturaliter cum ipſis procreatas. Ex actior de Angelis pertractatio ad Theologos potiùs, quàm ad Philoſophos ſpectat.

APPEN-

APPENDIX DE ENTE RATIONIS.

37. QVotupliciter ſumitur *Ens rationis*? Tripliciter, ſcilicet *effectiuè*, *ſubiectiuè*, & *obiectiuè*. Primo modo eſt id, quod procedit à ratione, tanquam à cauſa, nempe actus omnes, qui à Potentia ratiocinatiua eliciuntur. Secundo modo eſt id, quod reſidet in ratione, tanquam accidens in ſubiecto cuiuſmodi ſunt ſcientiæ, cęteræque virtutes Intellectus. Et hoc duplex Ens rationis eſt verè Ens reale, quià verè habet eſſe in rerum natura, & à cauſa reali producitur. Tertio modo eſt id, quod obijcitur rationi cognoſcendum; & illud duplex eſt, vel enim habet eſſe in ſe, abſque hoc, quod intellectui obijciatur, vt Cœlum, Terra, & illud eſt verè ens reale; vel nullũ aliud eſſe habet, præter illud, quod eſt obijci intellectui, & illud eſt verè Ens rationis, vt condiſtinguitur contra ens reale. Et dicitur *Ens rationis*, quia à ratione id totum habet, quod eſt, non tanquam à cauſa efficiente, ſed potius tanquam à cauſa deficiente, & conſiderante id, quod reuera non eſt, ac ſi eſſet V. G. quando intel-

intellectus apprehendit chimæram tanquam ens naturale, vel cæcitatem tanquam qualitatem aliquam efficientem oculum, vel relationem *Superioritatis* animalis ad hominem &c. eo modo quo relationem Patris ad filium: apprehendit aliquid, quod reuera non eſt, fingit tamen eſſe, ſibique obijcit conſiderandum: & illud *eſſe fictum* eſt *Ens rationis*.

38. *Nonne Ens rationis conſiſtit in aliqua denominatione extrinſeca rei cognitæ aliter, ac eſt in ſe?* Nequaquam quia hæc denominatio reuera datur, ergo non poteſt eſſe ens rationis, ſed conſiſtit in forma denominante intrinſecè eo proportionali modo quo forma realis; ſic æquè dicimus homo eſt ſpecies, ac homo eſt albus, & accipit intellectus ſpecieitatum, ſicut albedinem; ſed cum hac differentia, quod albedo afficit hominem abſque vlla intellectus operatione, & à parte rei; ſpecieitas verò per ſolam intellectus operationem.

39. *An aliæ potentiæ formant Ens rationis?* Nec ſenſus, nec volũtas formare poſſunt ens rationis: Non voluntas, quia non eſt facultas cognoſcitiua, ſupponitque ſuum obiectum, (ſicut, & ſenſus externus) non verò facit. Nec etiam ſenſus internus, quia ens rationis ob immaterialitatem ſuam contineri nequit intra obiectum ſenſus interni, ſaltem ſub præciſa formalitate entis rationis.

40. *Per quem actum intellectus fit Ens rationis?* Per quemlibet fieri poteſt, directum,

&

& reflexum, per primam, cæteraſque mentis operationes.

41. *Poteſtne fieri à Deo?* Cognoſcit Deus Entia rationis à nobis facta, ſed non facit; quia Deus perfectè nouit quidquid in nobis eſſe poteſt, ergo cognoſcit noſtra entia rationis, ſed non facit ipſe immediatè, quia quod Deus facit debet participare diuinam naturam, atqui ens rationis non eſt participatio naturæ diuinæ, quia nihil reuera eſt. Deinde Ens rationis efformare, imperfectionem importat, quia eſt apprehendere res aliter, ac ſunt in ſe, quod prouenit ex debilitate facultatis intelligentis: Ergo à Deo remouenda eſt propter ſummam eius perfectionem, CVI POTESTAS, ET IMPERIVM, ET HONOR SIT IN PERPETVVM.

FINIS Metaphyſica.

ETHICA,

Seu moralis Philoſophia.

CAPVT I.

De Quidditate huius ſcientiæ, & Obiecto eius, ſcilicet Actione humana.

1. QVid eſt Ethica? Eſt Scientia practica circa actiones humanas occupata, vel eſt Diſciplina Morum. Dicitur ſcientia, quia pertinet ad vim cognoſcitiuam, eſt enim cognitio quarundam veritatum ad mores ſpectantium: atqui non eſt *ars* propriè dicta, quia non verſatur circa aliquod opus externum faciendum: nec *prudentia*, quæ conſiderat res tantùm in ſingulari, Ethica verò in communi: multo minus eſt *Intelligentia*, aut *Sapientia:* Ergo reſtat, vt ſit ſcientia; veras ſiquidem demonſtrationes habet V. G. *bonum eſt faciendum: ſed actus iuſtitiæ eſt bonus, ergo eſt faciendus &c.* dicitur *practica*, quia eſt de obiecto in praxim reducendo, vt patet; Tandem dicitur, *circa*

circa humanas actiones occupata, tanquam circa propriam materiam, & obiectum. Sed conſideranda eſt duplicitur actio humana, primò in eſſe entis, & Phyſicè, in quantum procedit ab aliqua naturali facultate: ſecundò in eſſe moris, id eſt, vt habet dirigi à recta ratione, & fieri ob finem honeſtum: primo modo eſt obiectum materiale; ſecundo, formale.

2. *In quot partes diuiditur hæc morum ſcientia?* In tres, ſcilicet *Monaſticam*, *Æconomicam*, & *Politicam*: prima agit de ijs actionibus, quæ ad priuatam quamque perſonam pertinent: ſecunda familiam regit, quæ ex priuatis perſonis conflatur; Tertia regnum adminiſtrat, quod coaleſcit ex pluribus familijs.

3. *Quid vocas Actionem humanam?* Actio humana diſtinguitur ab actione hominis in hoc, quòd actio hominis fit ab homine, non in quantum homo eſt, ſed vel animal, aut viuens &c. V. G. vegetare, dormire, comedere, &c. Actio verò humana eſt ab homine, prout homo eſt, eſt autem homo per rationem, quam ſubſequitur voluntas: Ergò actio illa humana cenſenda eſt, quæ procedit: à ratione, & voluntate, id eſt, quę habet dirigi, & regulari à ratione per imperium voluntatis. Sic actiones infantium, amētium, & furioſorum ſunt quidem actiones hominis, ſed non humanæ, quia propter defectum vſus rationis, non poſſunt regulari à ratione, nec per imperium volun-

tatis fieri, quia ſine vſu rationis non agit voluntas, ergo tunc non ſunt actiones hominis, vt homo eſt, nec conſequenter ad moralem Philoſophiam pertinent, quæ humanas actiones tantùm conſiderat, ſeu mores hominum: Mores enim, non ſolùm ſunt eæ actiones, quæ fiunt ex conſuetudine, ſed quæ inſuper fiunt cum aliqua deliberatione rationis propriè loquendo. Præterea actiones, quæ violenter, & coactè fiunt non ſunt propriè actiones humanæ, quia licet, tunc homo habeat vſum rationis, non tamen habet vſum libertatis, quæ eſt modus agendi voluntatis circa bona particularia, vt dictum eſt 3. de ani. num. 30. Igitur ad actionem humanam requiritur *Intellectus*, ſeu *Ratio*, à qua habet, quod ſit *deliberata*, & *Voluntas*, ſeu *Libertas*, à qua habet, quod ſit *voluntaria*.

4. *Quænam ſunt principia, ſeu cauſæ actionis humanæ?* Cauſa efficiens eſt intellectus, & voluntas cum ſuis habitibus bonis, vel malis ſcilicet virtutis, & vitij; ſed quia cauſa efficiens non agit niſi moueatur à fine, ideò primum principium omnium actionũ humanarum eſt *Finis vltimus* ſcilicet *Felicitas*, quia omnes homines cupiunt eſſe felices, & ſuis actionibus felicitatem conantur acquirere; Cauſa materialis eſt res, ſeu obiectum, circa quod verſatur actio: Cauſa tandem formalis eſt finis, & intentio, propter quam fit; quia forma dat eſſe, & ſpecificat rem, atqui finis ſpecificat actionem humanam,

quia

quia licet finis in genere entis ſit cauſa extrinſeca, tamen in genere moris ſit aliquid intrinſecum, eo quod actio conſideratur in genere moris per ordinem ad voluntatem, cuius obiectum eſt *Bonum*, bonum autem, & finis conuertuntur, ergò cùm obiectum ſit ſpecificatiuum actus omnis, & potentiæ, finis erit actionis humanæ ſpecificatiuum. Itaque dare eleemoſynam eſt actio humana, cuius cauſa efficiens eſt voluntas deliberata; cauſa materialis eſt pecunia data; cauſa formalis eſt intentio, ob, quam datur, nempe ad ſubleuationem miſeriæ proximi, quia hic finis facit illam eleemoſynam eſſe actionem virtutis, & talis virtutis: Tandem felicitas eſt vltimus finis omnium, quia finaliter ad illam cæteri fines terminantur. *Primò igitur loco* de Beatitudine, ſeu felicitate agendum eſt: *Secundò* de bonitate, & malitia actionis humanæ, *Tertiò* de paſſionibus Animæ, *Quartò* de virtutibus, & vitijs.

CAPVT II.

De Felicitate, ſeu Fine vltimo Actionum humanarum.

5. *Gitne homo propter aliquem finem?* Maximè, non ſolùm ob generalem rationem: quòd omne agens agit propter finem: ſed ſpecialiter, quia eſt agens per intellectum, & voluntatem, nam voluntatis obiectum eſt, finis, & bonum.

6. *Quiſnam eſt eius finis vltimus?* Eſt Summum,& perfectiſſimum bonum,ſcilicet FELICITAS,quia bona particularia non poſſunt explere omne eius deſiderium, eo quod reſtat ſemper aliquid vltra appetendum: ſicut igitur intellectus fertur ad omne intelligibile, & verum, ita voluntas ad omne appetibile, & bonum; atqui in ſummo bono inuenitur omne bonum:ergo illud debet eſſe finis vltimus omnis humanæ actionis: bona verò particularia ſunt fines intermedij.

7. *Quotuplex eſt Felicitas?* Duplex diſtinguitur Felicitas, ſcilicet *formalis*, & *obiectiua*: prima eſt poſſeſſio ſummi boni, ſecunda eſt ipſum ſummum bonum poſſeſſum: prima eſt in nobis,quia eſt operatio noſtra, nam per operationem bonum poſſidemus, ſecunda eſt aliquid extra nos, quia ſummum bonum debet eſſe aliquid homine melius, & præſtantius: prima eſt operatio intellectus; quia definitur *Felicitas* ab Ariſt. 1. *Ethic. Perfectiſſima operatio perfectiſſimę potentiæ*,& conſequenter operatio intellectus circa perfectiſſimum obiectum: ſecunda verò conſiſtit reuerà in aliquo determinato, ſed ſecundùm falſam hominum ęſtimationem in pluribus inuenitur conſtitutum obiectum felicitatis,nam auarus, diuitias arbitratur ſummum bonum; ambitioſus, honores &c.

8. *In quonam conſiſtit reuera ſummum Bonum?* Non conſiſtit *in bonis fortunæ; ſcilicet diuitijs, honoribus, gloria, fama, poteſtate* &c. 1. quia non ſatiant hominis appetitum.

2. non

2. non expetuntur propter ſe, ſed propter vſum. 3. quia illa bona ſunt inferiora Homine. 4. quia non ſunt in poteſtate hominis,qui illis ſępè inuitus,& contra iuſtitiam priuatus. 5. quia non ſunt bona, niſi ſecundùm hominum æſtimationem. Nec conſiſtit *in bonis corporis*, *robore*, *pulchritudine: ſanitate*, *voluptate* &c. quia bona corporis ordinantur ad bona animæ, eo quod corpus eſt propter animam; & præterea Bruta nobis forent feliciora, bonis illis corporis feliciùs patientia. Nec denique *in bonis animi*, ſcientia,& virtute,quia hęc bona ſunt propter hominem, homo verò propter aliquid, aliud non propter aliud quàm Deum; quia cætera omnia propter hominem ſunt: ergo reuera conſiſtit ſummum Bonum, ac FELICITAS NOSTRA IN DEO, quem OPTIMVM, MAXIMVM, fatentur omnes, qui eum agnoſcunt.

CAPVT III.

De Bonitate, & Malitia Actionum humanarum.

9. QVid vocas bonitatem, & malitiā actionis humanæ? Non intelligitur hic Bonitas metaphyſica, & in eſſe entis, ſed bonitas moralis, quæ nihil aliud eſt,quam conformitas actionis humanæ ad rectam Rationem, & regulas morum, è contrà malitia eſt difformitas ad rectam Rationem. Nam

homo tenetur conformiter agere ad ſuam naturam, atqui natura hominis eſt, quod ſit rationalis, ergo tenetur agere conformiter ad rationem; quando igitur ſic agit, benè agit, è contra, malè moraliter.

10. *Quid eſt recta Ratio?* Eſt cognitio illa practica, quam de agendis naturaliter habemus, participat enim homo diuinũ Lumen, per ſuum Lumen naturale, quòd, tùm circa ſpeculabilia, tùm circa agibilia verſatur, & quia à Deo conditore deriuatur, fallere nequaquam poteſt, idcircò ſicut in ſpeculabilibus habet veritatem, in agibilibus habet rectitudinem, quantùm eſt de ſe, poteſt enim obſcurari, & deficere: ſed tunc per legem diuinam eſt regulandum, quia vnumquodque regulatur primo ſui generis. Hoc autem naturale lumen, ſeu cognitio continetur in quibuſdam principijs, ſeu propoſitionibus, tùm ſpeculatiuis, tùm practicis: de ſpeculatiuis dictum eſt *in metaph.* Practicæ ſunt: *Bonum eſt faciendum*, *Malum eſt fugiendum*: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*: *Superioribus parendum eſt*. Ex his plurima alia deducuntur, quæ, tùm lege diuina, tùm humana determinata ſunt. Habitus primorum principiorum practicorum appellatur *Synderesis*; ſpeculatiuorum, *Intelligentia*.

11. *Quid requiritur, vt aliqua actio humana ſit bona, & conformis rectæ rationi?* Tria indiſpenſabiliter neceſſaria ſunt, *Obiectum bonum, Finis, ſeu Intentio bona*, & *debitæ Circunſtantiæ*. Cuiuſuis horum defectus actionem

reddit

reddit malam: quia *bonum ex integra cauſa, malum ex quocunque defectu*. Requiritur obiectum bonum, quia eſt materia actionis; finis bonus, quia eſt forma; & debitæ circunſtantiæ, quia perfectio rei non ſolùm attenditur penes eſſentialia, ſed etiam penes accidentia, circunſtantiæ autem ſunt accidentia actionis humanæ, quæ in particulari non fit ſine illis: Ergo ex circunſtantia ſumitur etiam bonitas, & malitia eius.

12. *Quot ſunt circunſtantiæ humanorum actuum?* Vulgò ſeptem aſſignantur hoc verſu comprehenſæ.

Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando.

Ariſtoteles 3. *Ethic.* addit, *circa quid*. *Quis* ſignificat cauſam efficientem: *Quid*, effectum actionis, *Vbi*, Locum: *Quibus auxilijs*, cauſam inſtrumentalem: *Cur*, cauſam finalem: *Quomodo*, modum agendi: *Quando*, tempus: *Circa quid*, cauſam materialem, quæ tamen reduci poteſt ad *Quid*. Ex his principales ſunt, *Quid*, & *Cur*; quia non ſunt ſimpliciter accidentia actionis, ſed pertinent ad ipſam eius eſſentiam. Circunſtantia autem quælibet bonitatem, & malitiam aliquandò auget, aliquandò minuit, ſed ſpeciem mutat, quando ratione circunſtantiæ, eſt ſpecialis difformitas ad rectam rationem, & legem Dei, vt furari in loco ſacro, ſacrilegium eſt, non ſimplex furtum.

13. *Eſtne actio quælibet bona, vel mala?* In indiuiduo nulla eſt actio indifferens, ſed ne-

ceſſe eſt quamlibet eiſſe bonam, vel malam; quia in indiuiduo habet aliquam circunſtantiam ſaltem finis, qui cum non poſſit eſſe, niſi vel confirmis, vel difformis rectæ rationi, reddit actionem bonam vel malam. Idcirco de omni verbo otioſo ratio reddenda eſt tanquam de malo, vt dicitur *Matth.* 12. At in ſpecie nihil prohibet aliquam actionem eſſe *indifferentem*, quia obiectum eius, nec conuenientiam habet cum recta ratione, nec diſconuenientiam V. G. leuare feſtucam, & fricare barbam &c.

14. *Actio, quæ fit contra conſcientiam errantem, eſtne bona, vel mala:* Abſolutè mala dicenda eſt; quia *Conſcientia* eſt actus rationis, practicæ iudicans aliquid eſſe faciendum, vel non; debemus autem ſequi tale iudicium, & dictamen rationis, eo quod ſe habet, vt Lumen, quo naturaliter voluntas dirigi debet; ergo etiamſi per accidens erroneum ſit tale iudicium, tamen proponit, vt verum, & cōſequenter non poteſt ab eo voluntas deflectere: Ergo actio, quæ ſit contra errantem conſcientiam, mala eſt; inſuper, & quæ fit ſecundùm eam, mala quoque eſt, vt patet.

15. *Poteſtne eadem actio eſſe bona, & mala ſimul?* Si accipiatur eius vnitas in genere naturæ, poteſt eſſe bona, & mala propter mutationem voluntatis V. G. eadem ambulatio poteſt eſſe bona in initio, quia fit propter bonum finē, ſed in fine poterit eſſe mala, ſi voluntas incipiat velle malum finem, V. G. furari: ſed hæc eadem actio ſecundùm entitatem

tem Phyſicam, duplex eſt in genere moris, propter duplicem finem.

16. *Poteſtne eadem actio habere plures bonitates, vel malitias?* Quadruplicem bonitatem adſcribit D. Th. 1. 2. *q.* 18. *ar.* 4. cuilibet actioni, *prima* eſt ſecundùm genus entis, ſc. prout eſt Actio, quia quantum habet de actione, & entitate, tantum habet de bonitate, (& hæc eſt bonitas Phyſica, cæteræ ſunt bonitates morales.) *Secunda* eſt bonitas obiecti, quando obiectum rationi eſt conueniens, vt dare eleemoſynam. *Tertia* eſt bonitas circunſtantiarum debitarum; *Quarta* denique eſt bonitas finis, & intentionis, quæ quadruplex bonitas vnam abſolutam efficit bonitatem actionis, quia, ſi deſit aliqua, actio mala abſolutè dicenda eſt (licet ſecundùm quid bona ſit;) quia deeſt ei aliquid de plenitudine eſſendi, eo quod ei aliquid deficiat. Quantùm ad malitiam, vna, & eadem actio in genere entis poteſt æquiualere pluribus in genere moris, & habere omnes earũ malitias, V. G. quis furatur, vt fornicetur, eius Actio duplex peccatum eſt, habetq; malitiam furti, & fornicationis; quia actio in genere moris dependet à voluntate, cuius obiectum eſt finis, & conſequenter tot erunt diſtinctæ malitiæ, quot erunt fines intenti præter ordinem rationis, vel quot erunt circunſtantiæ indebitæ, vel obiecta mala ſibi inuicẽ ſubordinata.

17. *Poteſt ne Voluntas malum intendere?* Abſolutè nõ poteſt malum velle ſub ratione mali, quia malum, vt malum, eſt extra obie-

ctum appetitus; ſed intendit malum ſub ſpecie boni, quia per iudicium falſum rationis errantis apprehenditur, vt bonum, quod reuera bonum non eſt, vel apprehenditur, vt bonum *hic*, & *nunc* ſecundùm particulares rationes, quod ſecundùm generales, & ſuperiores malum iudicatur, V. G. qui furatur, ſecundùm generales rationes iudicat, furtum eſſe malum, ſed ſecundùm ſpeciales, ſc. vtilitatis, vel ſimilis, iudicat bonum: & ſub hac ratione boni fertur voluntas in malum.

18. *Quomodo poteſt malitia Actionis excuſari, & non imputari?* Quando actio non eſt voluntaria explicitè, vel implicitè, id eſt interpretatiuè, quia actio humana dependet à voluntate. Ergo ſi ſit abſolutè inuoluntaria, non imputabitur

19. *Quænam ſunt cauſæ Inuoluntarij?* Duæ aſſignantur, ſc. *Violentia*, & *Ignorantia*: violentia quidem, quia eſt contra inclinationem agetis, vt qui trahitur ad carcerem, actio eius dicitur ſimpliciter inuoluntaria. Sed notandum violentiam nullomodo poſſe inferri voluntati, quantùm ad actus elicitos, ſed ſolùm quantùm ad imperatos, de quibus actibus dictum eſt 3. *de anim. num.* 29. Ignorantia quoque cauſat inuoluntarium: ſed diſtinguenda eſt duplex ignorantia ſc. *Iuris*, & *facti*: inſuper ignorantia *vincibilis*, & *inuincibilis*. IGNORANTIA INVINCIBILIS tùm Iuris, tùm facti ſemper cauſat *inuoluntarium*: quia, tunc cognitio rei faciendæ fit impoſſibilis, atqui nemo ad impoſſibile

tenetur

tenetur; ergo tunc, non tenetur homo alio modo operari, & conſequenter etiamſi eius actio aliquam habere videatur malitiam, non tamen imputatur. IGNORANTIA verò VINCIBILIS ſiue iuris, ſiue facti, non cauſat ſimpliciter inuoluntarium, quia tunc voluntas aliquo modo vult illam ignorantiam, (nam tenetur homo ſcire, quid agendum ſit, quando vinci poſſunt omnes difficultates, talem ſcientiam impedientes:) ergo etiam quodammodo vult id, quod ſequitur ex tali ignorantia, ſc. malitiam actionis: quod eſt interpretatiuè velle. Ergo.

20. *Metus cauſatne Inuoluntarium?* Cauſat ſecundùm quid, non ſimpliciter, quia in metu conſentit voluntas actioni, nempe ad vitandum maius malum; ergo actio eſt ſimpliciter voluntaria: at in violentia nihil agit voluntas, ideò in definitione violenti additur, *paſſo non conferente vim*. Secundùm quid cauſat inuoluntarium, quia extra illum caſum, voluntas non conſentiret: Ergo eſt quodammodo contra eius inclinationem.

21. *Concupiſcentia facitne Inuoluntarium?* Nequaquam, imo auget, quia per concupiſcentiam voluntas inclinatur ad volendum id, quod concupiſcitur.

22. *Quid conſequitur Actionem humanam in quantum bona, vel mala eſt?* Actio bona, quæ alio nomine dicitur *honeſta*, vel *recta*; & mala, quæ dicitur *turpis*, vel *praua*, habent aliquas proprietates conſequentes ad bonitatem, & malitiam nempe *Laudem*, &

Vitupe-

Vituperium, *Meritum*, & *Demeritum*, *Præmium*, & *Pœnam*. Laus & vituperium nihil aliud ſunt, quàm imputatio bonitatis, vel malitiæ actionis, ſecundùm, quod voluit quis ita agere ex libera ſua voluntate. Meritum,& demeritum ſunt acquiſitio iuris ad recompenſationem, in quantum actio ſit in bonum, vel malum alterius. Tandem præmium, & pœna eſt ipſa recompenſatio bonæ, vel malæ actionis.

CAPVT IV.

De Paſſionibus Animæ.

23. Q*Votupliciter dicitur Paſſio?* Tripliciter, *primò* communiter pro quacunque receptione, etiamſi nihil abijciatur à re, vt cùm aer illuminatur, dicitur pati, recipere enim eſt quoddam pati. *Secundò* propriè, quando aliquid recipitur cum abiectione alicuius, non conuenientis, vt cùm quis ſanatur abiecta ægritudine. *Tertiò* maximè propriè, quando è conuerſo recipitur aliquid abiecto conuenienti, vt cùm quis abiecta ſanitate infirmus fit, pati dicitur: nam pati dicitur ex eo,quod aliquid trahitur ad Agens, quod autem recedit ab eo, quod eſt ſibi conueniens, maximè trahitur ad Agens, ergo maximè propriè pati dicitur: vnde Ariſt. ait, cùm ex ignobiliori generatur nobilius, eſt generatio ſimpliciter, & corruptio ſecundùm quid; è contra

verò,

verò, quando ex nobiliori ignobilius generatur: atqui paſſio eſt corruptio quædam: Ergo. Paſſio primò modo eſt reuera in anima, tanquam in ſubiecto, paſſio ſecundo, & tertio modo eſt tantùm in compoſito, quia fit cum tranſmutatione corporis: & de hac ſolummodò hic fit ſermo, quia per *Animæ paſſionem* intelligimus actum quemlibet appetitus animalis, qui non poteſt eſſe ſine aliqua tranſmutatione corporis, vt amor, triſtitia, gaudium &c. Ideò communes paſſiones habemus cum brutis, in quibus inuenitur ille appetitus animalis. Tamen ſciendum eſt ſimiles actus reperiri in appetitu rationali, correſpondentes paſſionibus partis ſenſitiuæ, & hi ſunt tantùm in homine, non in brutis licet ijſdem nominibus appellentur, atque ſine corporis immutatione fiunt.

24. *Quomodo definitur paſſio?* à D. Damaſc. ſic deſcribitur PASSIO *eſt motus appetitiua virtutis, ex imaginatione boni, vel mali ſenſibilis:* vel, *Paſſio eſt motus irrationalis Animæ, per ſuſceptionem boni, vel mali.*

25. *Suntne plures huiuſmodi Paſſiones?* vndecim numerantur, ſex in appetitu concupiſcibili, & quinque in Iraſcibili.

Paſſio-

Paſſiones appetitus Concupiſcibilis.

Circa bonum.			Circa malum.	
Vt conueniens	*Amor*	*Contraria*	*Odium*	Vt diſcon.
Vt nondum poſſ.	*Deſiderium*		*Fuga*	Vt abſens.
Vt poſſeſſum	*Gaudium*		*Triſtitia*	Vt præſens.

Paſſiones appetitus Iraſcibilis.

Circa bonum conſideratum, vt arduum, & difficile.			Circa malum arduum, & difficile.	
Per acceſſum	*Spes*	*Contraria*	*Timor*	Per receſſum
Per receſſum	*Deſperatio*		*Audacia*	Per acceſſum
			Ira	circa malum præſens, vt repell.

28. *Quid eſt* AMOR? Eſt complacentia boni, eo quod bonum conueniens eſt; *Amare* eſt velle bonum; *diligire* eſt velle bonum cum aliqua electione. *Amor amicitiæ* eſt,cùm bonum alteri volumus ob eius vtilitatem: *Amor concupiſcentiæ*, cùm ei bonûm volumus ob noſtram. Tres ſunt cauſæ Amoris, rei *Bonitas*, *eius Pulchritudo*, & *Similitudo cum amante*. Effectus amoris quinque ſunt, *Aſſimilatio* amantis cum re amata, *Vnio* ſecundùm affectum ſaltem, *Mutua inheſio*, *Ecſtaſis*, ſeu alienatio, ita vt non cogitet amans,niſi,quæ ſunt rei amatæ,& *Zelus*,qui eſt motus vehemens ad excludendum omne,

quod

quod contrariatur amori.

27. *Quid* ODIVM? Eſt diſplicentia in malo, quod aduerſatur bono conuenienti, ideò cauſatur ab amore.

28. *Quid* DESIDERIVM, *ſeu* CONCVPISCENTIA? Eſt appetitus rei abſentis ſecundùm ſenſum delectabilis: duplex eſt, *naturalis*, & *non naturalis*; prima appetit ea, quæ ſunt naturaliter delectabilia, vt cibus, & venerea; altera appetit ea, quæ ſunt delectabilia tantùm ſecundùm apprehenſionem animalis, vt honores, diuitiæ &c.

29. *Quid* FVGA? Eſt paſſio circa malum abſens, quod bono delectabili opponitur, & quod refugit animal.

30. *Quid* GAVDIVM, *ſeu* DELECTATIO? Eſt quies in bono ſenſibili, quod amatur, & quod deſideratum fuerat. Duplex eſt, *naturalis*, & *non naturalis*, ſicut de concupiſcentia dictum eſt. Cauſæ delectationis ſunt nouem ſc. *Operatio noſtra*, *viciſſitudo* rei delectabilis, *Memoria* præteritorum bonorum, *Spes* futurorum, *Triſtitia*, quæ facit memoriam rei dilectæ, *Actio* aliorum ergæ nos, vt beneficium &c. *Benefacere* alijs, *Similitudo*, & tandem *Admiratio*. Effectus delectationis ſunt *Perfectio* operationis, *Dilatatio*, *Sitis* ſui ipſius, *Sanitas* corporis, & tandem *ſignum externum* V. G. riſus.

31. *Quid* TRISTITIA? Eſt paſſio animæ circa malum præſens; differt à dolore, quòd dolor prouenit ex læſione corporis, triſtitia ex Imaginatione mali, ideo dolor magis, pertinet

pertinet ad corpus, triſtitia ad animam. Quatuor Sunt Triſtitię ſpecies, ſcilicet *Miſericordia*, quæ eſt triſtitia de malo alieno, tanquam ſuo; *Inuidia*, quæ eſt triſtitia de bono alieno, tanquam malo ſuo; *Anxietas*, ſeu *Anguſtia*, quę eſt ex triſtitia ex ſubſtractione refugij; & *Accidia*, quæ eſt triſtitia, tollens vſum cæterorum membrorum. Triſtia aufert addiſcendi facultatem, animum aggrauat, operationem debilitat, plurimumq; ſanitati nocet: Mitigatur per fletum, per amicorum compaſſionem, per contemplationem veritatis, & per ſomnum, ac balnea.

32. *Quid* SPES? Eſt paſſio circa bonum arduum abſens, & poſſibile. Cauſatur per experientiam, poteſtatem, ſcientiam, doctrinam, & perſuaſionem; abundat in iuuenibus, & ebrioſis propter abundantiam caloris.

33. *Quid* DESPERATIO? Eſt paſſio Spei oppoſita, qua receditur à bono propter imaginationem impoſſibilitatis talis boni.

34. *Quid* TIMOR? Eſt paſſio de malo futuro cum quadam tranſmutatione, ſcilicet cum contractione, vt ait D. Damaſc. *lib.* 3. *orth. fid. c.*23. à quo ſex etiam timoris ſpecies aſſignantur *lib.*2. *cap.*15 Scilicet, *Segnities*, *Erubeſcentia*, *Verecundia*, *Admiratio*, *Stupor*, & *Agonia*: quia malum: quod timetur, vel eſt labor grauans, & ſic eſt *Segnities*; vel eſt turpitudo in actu committendo, & eſt *Erubeſcentia*; vel eſt turpitudo in actu iam commiſſo, & eſt *Verecundia*; vel eſt aliquod ma-

magnum malum, cuius exitum conſiderare non ſufficit, & eſt *Admiratio*; vel magnum malum inconſuetum, & eſt *Stupor*; vel tandem eſt aliquod ingens malum, omninò improuiſum, & dicitur *Agonia*. Timor facit contractionem, ſicut lætitia dilationem, facit tremorem, & operationem impedit; tandem facit conſiliatiuos, & ſollicitos.

35. *Quid* AVDACIA? Eſt paſſio timori oppoſita, quà pericula quis aggreditur cum Spe victoriæ. Fortitudo corporis, experientia in periculis, multitudo pecuniarum, amicorum &c. generis nobilitas, cauſant audaciam.

36. *Quid* IRA? Eſt paſſio ex præſentia mali, cum deſiderio vlciſcendi: inter alios, motus iræ eſt manifeſtior: cuius tres aſſignantur ſpecies à D. Damaſc. 2. *orth. fid. cap.* 16. ſcilicet *fel*, *mania*, & *furor*; *fel*, ex parte motus iræ, quando citò accenditur: *mania* ex parte triſtitiæ cauſantis iram, quæ diu in memoria manet; & *furor* ex parte vindictæ, quando iratus non quieſcit donec puniat. Deſpectio eſt motiuum Iræ, quia minuit excellentiam, quam omnes quærunt. Ideò humiliatione temperatur Ira; vt dicitur *Prou.* 15. *reſponſio mollis frangit iram*. Maximè impedit rationis vſum propter maximam corporis perturbationem. Non habet aliquam paſſionem contrariam, neque ratione obiecti, ſcilicet boni, & mali, quia ira eſt de malo præſenti, de bono præſenti eſt gaudium, quod eſt in concupiſcibili: neque ſecun-

ſecundùm acceſſum,& receſſum,quia ſi quis ſuccumbat malo præſenti, iam habet triſtitiam, quæ eſt etiam in concupiſcibili: ergo non habet contrarium poſitiuè, ſed priuatiuè, ſic mitiſcere opponitur iraſci.

37. *Eſtne aliquis ordo inter illas paſſiones?* Amor eſt prima omnium paſſionum,& illarum cauſa; quia bonum, vt conueniens eſt obiectum appetitus, ergo paſſio reſpiciens bonum, vt conueniens debet eſſe cauſa omnium motuum talis appetitus. Via igitur executionis,ſeu generationis,hic paſſionum ordo attenditur. *Primò* occurrunt Amor, & Odium, *Secundò*, Deſiderium & fuga, *Tertiò* Spes, & Deſperatio, *Quartò*, Timor & Audacia, *Quintò*, Ira, *Sextò*, Gaudium, & Triſtitia, quæ conſequuntur ad omnes paſſiones; ſed via intentionis præcedit Gaudium, vtpote earum cauſa.

38. *Inueniturne bonitas, vel malitia moralis in paſſionibus animæ?* Inuenitur quidem, prout ſubiacent Imperio rationis, ſi enim actus exteriorum membrorum bonitatem habent, vel malitiam, prout rationi obtemperant, vel non, à fortiori actus appetitus ſenſitiui,qui naturaliter ſubeſſe debet rationi tanquam inferior ſuperiori: Sed nullam habent bonitatem, vel malitiam moralem, ſi ſecundùm ſe conſiderentur,id eſt prout ſunt motus appetitus irrationalis, vt apparet in brutis, & infantibus, aut amentibus. Stoici autem aſſerebant ſemper malas eſſe, quia paſſiones dicebant eſſe motus animi effrenos ſem-

ſemper rationem perturbantes, ſicut morbus humores corporis exagitat: & ſecundùm hoc certum eſt, paſſionem ſemper malam eſſe: at peripatetici rationabilius ſentientes, dicebant, paſſionem à ratione poſſe dirigi, & tunc bonam eſſe: quamquam fatendum ſit, ſæpè ſepius paſſionem, vel præuenire, vel perturbare, & impedire rationis vſum: Et ideò, vt plurimum malam cenſendam eſſe.

CAPVT V.

De Virtutibus, & Vitijs.

39. QVid nomine virtutis generaliter intelligitur? Perfectio quędam Agentis in ordine ad actum ſuum, quia, cùm nulla creatura ſit immediatè operatiua, vt dictum eſt 2. *Phyſ. n.* 34. indiget aliquo ſuperaddito, quod vocatur Potentia, ſeù Virtus agendi. Specialius verò ſumitur pro perfectione ipſius potentiæ in ordine ad actum ſuum, id eſt, per quam determinatur ad talem actum exercendum, quando ex ſe ipſa non eſt determinata: perfectio autem illa potentiæ non poteſt eſſe, niſi habitus, ergo propriè nomine virtutis intelligitur habitus operatiuus: ideo definitur ſic: VIRTVS *eſt perfectio potentiæ ad vltimum*, vel *optimum;* id eſt ad actum, qui eſt quid vltimum, & optimum. Poteſt etiam ſic definiri, *Virtus eſt habitus bonus, boni operatiuus.*

40. *Cedo*

40. *Cedo diuiſionem virtutis?* Diuiditur in *Intellectualem*, & *Moralem*, prima perficit intellectum in ordine ad cognitionem veri, altera perficit vim appetitiuam in ordine ad boni perſecutionem; Prima facit bonum habentem ſecundùm quid tantùm, V.G. ars grammaticæ non facit bonum ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, nempè bonum grammaticum: Altera verò facit bonum ſimpliciter, quia virtus intellectualis facit quidem facultatem rectè operandi, ſed non dat vſum talis facultatis V.G. Grammatica facit facultatem rectè loquendi, ſed non facit, vt ſemper rectè homo loquatur, poteſt enim etiam malè loqui: at verò virtus moralis etiam dat vſum facultatis operantis, ita vt ſemper rectè operetur, eo quod coniungitur ſemper cum bona voluntate. Prima igitur eſt virtus tãtùm ſecundùm quid, altera ſimpliciter. *Virtus intellectualis* quintuplex eſt ſcilicet. Intelligentia, Sapientia, Scientia, Prudentia, & Ars, vt dictum eſt *in Log. lib. poſt analyt. num.* 47. *Moralis* quadruplex, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia. Prudentia inter vtraſque numeratur, quia eſſentialiter eſt intellectualis, ſed ſecundùm materiam Moralis eſt, eo quod dependet à voluntate, & in ordine ad rectam voluntatem. Opinio non eſt virtus intellectus, quia non eſt ſemper ad bonum intellectus, ſcilicet Verum, ſed aliquando ad falſum.

41. *Quomodo ſpecialiter definitur virtus moralis?* VIRTVS *eſt, quæ facit, ſimpliciter bo-*

num

num habentem, & opus eius bonum reddit; vel *eſt habitus, quo quis benè vtitur, & nunquam malè vtitur*. Eo quod facit bonum vſum. Secundùm D. Aug. *Epiſt. ad Maced.* In hac vita *Virtus* non eſt, niſi diligere, quod diligendum eſt: id eligere *Prudentia eſt*: nullus inde auerti moleſtijs *Fortitudo*: nullus illecebris, *Temperantia*; nulla ſuperbia, Iuſtitia eſt. Secundùm Ariſt. *l.* 3. *Ethic. Virtus eſt habitus electiuus in mediocritate conſiſtens*, ita, vt nec excedat, nec deficiat à regula rationis, vnde exijt commune proloquium, *Virtus in medio*, id eſt inter duo vitia, quorum alterum per exceſſum, alterum per defectum à medio virtutis recedit: V. G. auaritia minus dat, quàm oporteat, prodigalitas nimis dat, ſed liberalitas, nec plus, nec minus, quàm oporteat iuxta regulas rationis; Vitia ergo ſunt *auaritia*, & *prodigalitas*, eo quod in extremis poſitæ ſunt; ſed *liberalitas* medium tenens, virtus cenſenda eſt.

42. *Quotuplex eſt Medium Virtutis?* Duplex, rei, & rationis: *Medium rei* eſt, quod ſecundùm rem eſt determinatum, V. G. determinatum eſt ſecundùm rem, quãtum Petro debeas: & hoc medium ſeruat Iuſtitia: *mediũ rationis* eſt, quod non niſi à ratione determinationem habet, V. G. determinat ratio, quantum comedere, vel bibere debeas: & iſtud medium ſeruant cæteræ virtutes. Intellige tamen *medium in virtute* quoad virtutis materiam, quam reducit ad medium, id eſt ad conformitatem rationis, licet aliunde

ſit

ſit aliqua virtus in extremo, V. G. Magnanimitas, Magnificentia, Virginitas, Paupertas &c.

43. *Quænam eſt in nobis virtutum Cauſa?* Circa hoc triplex fuit Opinio: *Prima* Platonicorum ponētium virtutes, & ſcientias naturaliter præexiſtere in anima, per diſciplinam autem impedimenta tolli. *Secunda* fuit Auicennę dicētis eſſe omninò ab extrinſeco ex influentia intelligentię agentis. *Tertia* eſt Philoſophi 2. *Ethic.* aſſerentis virtutes, & ſciētias eſſe in nobis à natura ſecundùm aptitudinem, ſed non ſecundùm perfectionem: quod patet, quia in ratione hominis ſunt quædam principia naturaliter cognita, & in voluntate quædam inclinatio ad bonum; & in complexione corporali ſunt quædam diſpoſitiones ad actus virtutum, & ita virtutes ſunt homini naturales ſpectata, tùm natura eius ſpecifica, tùm indiuiduali, & hoc, ſecundùm quandam inchoationem, non verò ſecundùm conſummationem; quia natura eſt ad vnum determinata, conſummatio verò virtutum non eſt ſecundùm vnum modum, ſed diuerſimodè propter diuerſas materias, & circunſtantias. Reſtat igitur, vt *Virtus* cauſetur in nobis ex aſſuetudine operum, ſicut, & habitus vitiorum; Cauſatur quoq; virtus à Deo per infuſionem, & ideo dicit Aug. *lib.* 2. *de lib. arb. c.* 18. virtus eſt bona qualitas mentis, quam Deus in nobis ſine nobis operatur: ſed hæc virtus infuſa non eſt eiuſdem ſpeciei cum acquiſita, (licet

eodem

eodem vocetur nomine) quia virtus moralis acquiſita regulatur ratione humana, inſuſa verò regulatur lege diuina.

44. *Suntne virtutes omnes inter ſe ita connexæ, vt vna ſine alijs eſſe non poſſit?* Virtutes infuſæ ſimul ſemper ſunt, quia charitatem comitantur, qua amiſſa, etiam amittuntur virtutes omnes infuſæ. Virtutes autẽ acquiſitæ, ſi ſint imperfectæ, poſſunt ſeparatim inueniri, vt iuſtitia ſine temperantia: ſed perfectæ ſunt ſimul, inter ſe connexæ: quia virtus perfecta illa eſt, quæ facit promptè, & delectabiliter operari bonum; ſed hoc non poteſt eſſe ſine adminiculo aliarum virtutum, quæ tollunt omnia impedimenta actionis. Ergo ſine illis perfecta eſſe nequit: Deinde perfecta non eſt, niſi habeat generales conditiones virtutum, ſcilicet *diſcretionem, rectitudinem, moderationem, & animi firmitatem;* perfectum enim eſt, cui nihil deeſt Ergo virtus quæcunque, vt perfecta ſit debet habere diſcretionem, quæ pertinet ad prudentiam; rectitudinem, quæ pertinet ad iuſtitiam; moderationem, quæ ſpectat ad Temperantiam; & tandem animi firmitatem, quæ ad fortitudinem pertinet: ergo neceſſariò coniuncta eſſe debet cum alijs omnibus.

45. *Quomodo probatur quaternarius virtutum moralium, quæ vulgò Cardinales appellantur, numerus?* Probatur, *Primò*, ex parte boni, quod eſt veluti principium formale: nam, vel bonũ reperitur in ratione, & ſic eſt *Pruden-*

tia: vel in ordine rationis ad operationes, & ſic eſt *Iuſtitia:* vel in ordine rationis ad paſſiones, & ſic eſt *Temperantia*, & *Fortitudo*; Temperantia quidem ad reprimendam paſſionem impellentem ad aliquid contra rationem, & Fortitudo ad firmandum hominem in bono, à quo retrahitur per paſſionem. *Secundò*, ex parte ſubiecti virtutis, quatuor quoque ſunt virtutes Cardinales; nam ſubiectum virtutis moralis, vel eſt rationale per eſſentiam, quod Prudentia perficit: vel eſt rationale per participationem, & illud, vel eſt voluntas, quæ eſt ſubiectum *Iuſtitiæ*, vel appetitus concupiſcibilis, in quo eſt *Temperantia*, vel iraſcibilis, in quo eſt *Fortitudo*, Ergo.

46. *Quomodo diuiduntur Virtutes Cardinales?* Plotinus, (quem Macrobius vocat inter Phyloſophię Profeſſores cum Platone principem,) diuidit virtutes in *Politicas*, *Purgatorias*, *Purgati animi*, & *Exemplares*. Dicuntur *Exemplares* prout ſunt in Deo, qui eſt exemplar humanæ virtutis; ſic *Prudentia* eſt diuina Mens, *Temperantia* eſt conuerſio diuinæ intentionis in ſeipſum; *Fortitudo* eſt eius immutabilitas; *Iuſtitia* eſt obſeruatio legis æternæ in ſuis operibus. Dicuntur *Politicæ* in quantum ſunt in homine (qui eſt animal politicum) rectè ſe habente in rebus humanis gerendis. Dicuntur *Purgatoriæ*, prout ſunt in homine in diuinam ſimilitudinem tendente. Tandem dicuntur *Purgati animi*, quando ſunt in homine, qui iam aſſe-

aſſecutus eſt diuinam ſimilitudinem. Addit inſuper idem Plotinus, quod virtutes *Politicę* paſſiones molliunt; *Purgatorię* auferunt, ſeu vincunt; *Purgati animi* obliuiſcuntur; at in *Exemplaribus* nefas eſt nominari.

47. *Quid nominę VITII intelligendum venit?* habitus virtuti oppoſitus, & mali operatiuus, id eſt alicuius cõtra regulam rationis: cuius actus *Peccatum* appellatur: eſt contra inclinationem naturæ, quia eſt diſpoſitio nõ conueniens naturæ, & cùm Ratio ſit natura hominis, vitium dicitur eſſe contra naturam eius, quia eſt contra ordinem rationis. Vnde ait Greg. *in moral. Quid eſt virtus, niſi medicamentum, & quid eſt vitium, niſi vulnus?* Vitium peccato peius eſt ſecundùm quid, nempè ſecundùm diuturnitatem ſuam, & pronitatem ad labendum; ſed peccatum vitio peius eſt ſimpliciter, & abſolutè, quia per peccatum, malum fit actu, per vitium eſt tantùm in potentia: ideò propter peccatum infligitur pœna, non propter vitium.

DE PRVDENTIA.

48. QVid eſt PRVDENTIA? Eſt recta ratio agibilium: Tres habet actus, ſcilicet *Conſiliari*, quòd pertinet ad inuentionem, *Iudicare de inuentis*, quod pertinet ad ſpeculationẽ; & *Præcipere*, quod pertinet ad applicationem conſiliatorum ad operandum. Hic actus vltimus eſt præcipuus, quia eſt propinquior fini rationis

practicæ. *Partes Prudentiæ* aliæ ſunt *integrales*, ſine quibus perfectus actus prudentiæ eſſe non poteſt: aliæ *ſubiectiuæ*, ſeu ſpecies prudentiæ: aliæ *potentiales*, ſeu finitimæ, & adiunctæ, quæ ordinantur ad aliquos ſecundarios actus, tamen ad perfectam prudentiæ rationem non attingunt. Conſimiles omninò partes habent aliæ Virtutes Cardinales.

Partes Integrales Prudentiæ.

Memoria, eſt præteritorum recordatio ad benè conſiliandum.

Intelligentia, eſt recta æſtimatio de particulari fine.

Docilitas, eſt, qua quis fit benè ſuſceptiuus diſciplinæ.

Solertia, vel ſolicitudo, eſt prompta, & facilis coniecturatio circa inuentionem medij: appellatur in ſcriptura vigilantia; pars eſt Euſtochiæ, quæ eſt benè coniecturatiua de quibuſcunque.

Ratio, eſt inquiſitio de aliquibus ad alia procedens.

Prouidentia, eſt debita ordinatio in finem.

Circunſpectio, eſt, quia id, quód ordinatur in finem comparatur cum his, quæ circunſtant.

Cautio, eſt, qua mala non accipiuntur pro bonis, & bona non impediuntur à malis.

Partes

Partes Subiectiuæ.

Henarchia, eſt prudentia ſui moderatrix.

Polyarchia, eſt prudentia multitudinis gubernatrix, cuius quatuor ſunt ſequentes ſpecies.

Regnatiua, eſt prudentia, regnum adminiſtrans.

Politica, eſt prudentia, qua quis regit ſeipſum in ordine ad bonum commune, obediendo principantibus.

Æconomica, eſt prudentia, domum, & familiam regens.

Militaris, eſt prudentia, qua reſiſtitur extrinſecis impugnantibus.

Partes Adiunctæ.

Ebulia, eſt virtus benè conſiliatiua.

Synesis benè iudicatiua ſecundùm communes regulas.

Gnome, eſt benè iudicatiua per altiora principia, ideo importat quandam perſpicacitatem iudicij.

Vitia Prudentiæ Oppoſita.

Imprudentia, quæ continet multas ſpecies ſub ſe, ſuntque.

Præcipitatio, qua inordinatè pertranſeuntur Leges prudentiæ, & gradus, qui ſunt memoria, Intelligentia, docilitas

&c. ſicque nominat defectum circa actum conſilij: præcipuè opponitur memoriæ, docilitati, & circunſpectioni.
Inconſideratio, eſt defectus circa actum iudicij, opponitur intelligentiæ.
Inconſtantia, eſt defectus circa actum præcepti, opponitur Rationi. Hi tres defectus ex Luxuria oriuntur.
Negligentia eſt defectus debitæ ſolicitudinis, opponitur ſolertiæ, ac vigilantiæ.
Prudentia carnis, per quam deordinatur homo circa finem vltimum, qui eſt Deus.
Aſtutia, eſt excogitatio ſimulatarum viarum ad aliquem finem.
Dolus, eſt executio huiuſmodi excogitationis, ſiue per verba, ſiue per facta:
Fraus, executio per facta tantùm.
Solicitudo immoderat rerum temporalium: opponitur prouidentiæ, ac cautioni per exceſſum. Hæc quatuor prudentiam ſimulant.

DE IVSTITIA.

49. QVid eſt IVSTITIA? Rectè definitur, *perpetua, & cōſtans voluntas Ius ſuum vnicuique tribuendi*. IVS eſt, id, quod iuſtum eſt, ſeu quod reſpondet ſecūdum aliquam æqualitem alteri, eſtque obiectū Iuſtitiæ. In hac definitione ponitur actus pro habitu. Duplex eſt, *legalis*, quæ ordinat

nat ad bonum commune immediatè, & *particularis*, quæ ordinat in his, quæ ad ſingularem perſonam attinent. Item duplex eſt Iuſtitia, ſeu ſunt duæ *partes ſubiectiuæ*, vel ſpecies Iuſtitiæ, ſcilicet *Commutatiua*, & *Diſtributiua*; hæc in diſtributionibus, illa in commutationibus verſatur: *Actus Iuſtitiæ* in Iudice eſt *Iudicium*, in Iuſto eſt *Redditio debiti*, ac *Reſtitutio*, quæ eſt iterata redditio eius, quod ad alterum pertinet. *Partes integrales* Iuſtitiæ ſunt, *declinare à malo*, & *facere bonum*: Intellige bonum, & malum ſub ratione debiti, & indebiti, quia ſub vniuerſali ratione boni, & mali, pertinent ad omnem virtutem.

Partes Potentiales, ſeu virtutes annexæ Iuſtitiæ.

Religio, Deo cultum debitum exhibet, tùm interius, *Deuotione*, ſeu *Spirituali Adoratione*, & *Oratione*, tùm exteriùs, *Adoratione corporali*, ſeu *humiliatione*, *Sacrificiis*, & *Oblationibus*, *Voto*, *Iuramento*, *Adiuratione*; *Recitatione* diuinarum laudum.

Pietas, parentibus reuerentiam præſtat, ac etiam patriæ debitum officium tribuit.

Obſeruantia, honorem virtute, & dignitate præditis deferre docet.

Obedientia, ſuperioribus non ſolùm honorem exhibet, ſed, & eorum præceptis obtemperat.

Veritas, ſeu *Veracitas*, qua quis ſe exhibet

alteri in dictis, & factis, qualis ipſe eſt.

Gratia, ſeu *Gratitudo* recompēſat in bonis.

Vindicatio recompenſat in malis, ſed ex amore, non liuore debet procedere.

Amicitia, *& Affabilitas*, honeſtatem maximam erga proximum inducunt, & circa ea verſantur, quæ ſub nullam legem expreſsè cadunt, ſiue dictis, ſiue factis.

Liberalitas, in pecunijs elargiendis verſatur, benèque eis vtitur.

Epijchia, ſeu *Æquitas*, eſt ſummi iuris moderatio, ſeu verborum legis, attendendo intentionem legislatoris, quædam mitigatio.

Miſericordia, indigentibus ſubuenit, eius Actus ſunt quatuordecim Eleemoſinæ genera, his verſibus comprehenſa.

Viſito, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo, Condo,
Conſule, Caſtiga, Solare, Remitte, Fer, Ora.

Docere ignorantes, continetur ſub conſulere.

Vitia, Iuſtitiæ Oppoſita.

Iniuſtitia eſt vitium Iuſtitiæ oppoſitum, qua alteri nocumentum aliquod infertur, & ita varios actus habet, & vitia ſub ſe, ſecundùm quod varia poſſunt inferri proximo nocumenta. Infertur autem nocumentum.

Primò Tranquillitati, & paci publicæ, *Diſcordia*, *Contentione*, *Schiſmate*. *Bello iniuſto*, *Rixa*, *Seditione*, *Scandalo*.

Secundò Bonis corporis cuiuſcunque particularis, *homicidio*, *mutilatione*, *verberatione*, *Incarceratione*, *Iudicio peruerſo Iudicis*, *iniuſta Accuſatione*, *Falſo Teſtimonio*, *iniquo Aduocatorum patrocinio*, *veritatis abnegatione in Iudicio*: hæc enim omnia damnum inferunt alteri in bonis corporis.

Tertiò famæ, & honori proximi nocumentum infertur. In primis *perſonarum acceptione*; deinde Iniurijs Verborum ſcilicet *Conuitio*, *Improperio*, *Contumelia*, *Detractione*, *Suſurratione*, *Deriſione*, *Maledictione*.

Quartò bonis fortunæ per *Furta*, *Rapinas*, *fraudulentias* in emptionibus, & venditionibus, iniuſtam rei alienæ *retentionem*, denique per *Vſuras* in mutuis.

Quintò ſpecialiter Religioni opponitur per exceſſum *Superſtitio*, cuius quatuor ſunt ſpecies, *Cultus ſuperfluus*, *Idololatria*, *Diuinatio*, & *vana Obſeruatio*. Per defectum Religioni opponuntur *Dei Tentatio*, *Periurium*, *Sacrilegium*, *Simonia*. Pietati, Obſeruantiæ, & Obedientiæ, opponitur *Contemptus*, & *Inobedientia*; Veritati, *Mendacium*, *Simulatio*, *Hypocriſis*, *Iactantia*, *Ironia*: Gratitudini, *Ingratitudo*: Vindicationi, *nimia pœnæ inflictio*, vel *indebita ralaxatio*. Affabilitati, *Adulatio*, *Litigium*. Liberalitati, *Auaritia*, *Prodigalitas*.

DE FORTITVDINE.

50\. QVid eſt FORTITVDO? Eſt virtutes animū firmās ad pericula (præcipuè mortis) ſubeunda. Duplicem actum habet, pericula *aggredi, & ſuſtinere*; hic præcipuus eſt. Partes ſubiectiuas non habet, eo quod eſt circa materiam valde ſpecialem.

Partes Integrales, & Adiunctæ Fortitudinis.

Magnanimitas, circa magnos honores verſatur, bonis fortunæ ad ſuas actiones vtitur, adiunctam habet *Fiduciam*, & *Securitatem*: Fiducia eſt robur quoddam ſpei, boni conſequendi, Securitas eſt animi quies à timore.

Magnificentia; circa magnos ſumptus in rebus faciendis verſatur.

Patientia, eſt honeſtatis, aut vtilitatis cauſa, rerum arduarum, aut difficilium voluntaria, ac diuturna perpeſſio: adiunctas habet *Conſtantiam*, quia eſt rerum arduarum, & *Longanimitatem*, quia eſt diuturna.

Perſeuerantia facit firmiter perſiſtere hominem in bono contra difficultatem, quę prouenit ex ipſa diuturnitate actus, & ſic eundem finem habet ac *Conſtantia*, ſed differt in hoc, quod Conſtantia faciat perſiſtere contra difficultates, quæ proueniunt

ueniunt ex quibuſcunque alijs exterioribus impedimentis.

Vitia, Fortitudini, Oppoſita.

Timor, ſeu Timiditas, per defectum, fortitudini aduerſatur, in quantum timentur ea quæ timeri non debent.

Intimiditas, ſeu *Impauidum eſſe*, per exceſſum, in quantum non timentur, quæ timeri debent.

Audacia, ſeu *Temeritas*, qua ſine iudicio rationis pręcipitãter quis in periculũ ruit.

Præſumptio, ſeu *nimia confidentia* magnanimitatis, eſt quidam exceſſus ſecundum proportionem propriæ facultatis.

Ambitio, eſt exceſſus circa honores appetendos.

Inanis Gloria, eſt exceſſus circa propriam æſtimationem appetendam. Tria hæc magnanimitati aduerſantur per exceſſum.

Puſillanimitas, per defectum magnanimitati opponitur, qua quis non attentat ea quæ poteſt.

Paruificentia, per defectum, magnificentiæ opponitur.

Profuſio, per exceſſum eidem aduerſatur.

Impatientia, Patientiæ per defectum contraria eſt.

Molities, Perſeuerantiæ opponitur per defectum.

Pertinentia, verò per exceſſum.

DE TEMPERANTIA.

51. QVid eſt TEMPERANTIA? *Eſt* virtus moderans appetitum circa concupiſcentias, & delectationes bonorum ſenſibilium, ac circa triſtitias ex eorum abſentia orientes. *Partes* eius integrales ſunt *Verecundia, & Honeſtas*: Prima eſt quidem paſſio laudabilis, ſed non perfecta virtus, diſponit tamen ad virtutem, in quantum incutit horrorem turpitudinis. Honeſtas, eſt quædam ſpiritualis pulchritudo: Conditio potius, quàm pars Temperantiæ.

Partes, Subiectiuæ, Temperantiæ.

Abſtinentia, cibi delectationem, & ſumptionem moderatur, habita ratione, tùm propriæ perſonę, tùm aliarum, cum quibus viuitur: eius actus eſt *I. iunium*.

Sobrietas, potus vini, aut cuiuſcunque inebriantis ſumptionem regit.

Caſtitas, concupiſcentiam circa venerea caſtigat, & ad modum pueri eius impetus refrænat, & compeſcit: adiunctam habet *Pudicitiam*, quæ circa tactus venereos reprimendos verſatur. *Virginitas* verò, eſt quædam excellentiſſima Caſtitas habens propoſitum à venerea quacunque delectatione perpetuò abſtinendi.

Partes

Partes Potentiales Temperantiæ.

Continentia, paſſiones concupiſcentiæ ſentit quidem, ſed non deducitur, caſtitas verò non ſentit.

Clementia exteriorem punitionem moderatur, aliquando condonat.

Manſuetudo, interiorem iræ impetum compeſcit.

Modeſtia, corporales motus, & geſtus moderatur, cuius ſequentes ſunt ſpecies.

Humilitas, animi elationem propriæ abiectionis inſpectione refrænat: cuius tres ſunt gradus; primus, ſubdere ſe maiori, & non ſe præferre æquali (qui ſufficiens eſt;) ſecundus, ſubdere ſe æquali, nec præferre ſe minori (eſtque abundans;) Tertius, ſubdere ſe minori, in quo eſt omnis iuſtitia.

Studioſitas, cognitionis deſiderium regit, & ad ſobrietatem ſapere docet.

Ornatus, in exterioribus motibus corporis quædam decentia eſt.

Eutrapelia, ſeu *bona conuerſatio*, circa ludos, & iocos ad animi ſolamen vtiles verſatur.

Decor corporis, veſtium cultum moderari docet.

Vitia

Vitia Temperantiæ Oppoſita.

Intemperantia, ſeu immoderata voluptatum corporis proſecutio; Temperantiæ opponitur per exceſſum.

Inſenſibilitas, ſeu *Senſus Vacuitas*, qua delectationes ad naturæ conſeruationem neceſſariæ prætermittuntur; opponitur per defectum.

Gula, eſt inordinatus edendi appetitus, dùm quis *Præpoperè*, *Lautè*, *nimis*, *ardenter*, & *ſtudioſè* cibum quærit. Quinque filias habet, *ineptam lætitiam*, *ſcurrilitatem*, *immunditiam*, *multiloquium*, & *hæbetudinem mentis*.

Ebrietas, eſt inordinata vini concupiſcentia, vel Vſus.

Luxuria, concupiſcentias, & delectationes venereas inordinatè quærit. Septem eius ſunt ſpecies, *ſimplex fornicatio*, *Adulterium*, *Inceſtus*, *Stuprum*, *Raptus*, *Sacrilegium*, & *vitium contra naturam*. Octo verò filiæ, *Cæcitas mentis*, *inconſideratio*, *præcipitatio*, *inconſtantia*, *amor ſui*, *odium Dei*, *affectus præſentis ſæculi*, & *horror futuri*.

Incontinentia, prauas concupiſcentias ſequitur.

Iracundia, ſeu *Ira*, immoderatum iraſcendi modum habet. Sex eius filiæ enumerantur à B. Gregor. *Rixa*, *Tumor mentis*, *Contu-*

Contumelia, Clamor, Indignatio, & Blaſphemia.

Crudelitas, aſperitatem in pœnis inferendis importat, ideo Clementiæ opponitur. *Sæuitia* verò more ferarum fertur.

Superbia, inordinatum propriæ excellentiæ appetitum habet, humilitati opponitur.

Curioſitas, inordinatum, & inane diſcendi deſiderium nominat.

Denique in exterioribus corporis motibus, Iocis, Ludis, cultu corporis, poteſt eſſe, vitium ex ſuperfluitate, vel defectu; A quibus omnibus abſtinet VIR SAPIENS ET BEATVS, qui in lege Domini meditatur nocte, dieque, vt Virtuti deditus, (ad quam excollendam quiſque natus eſt, vt fine ſuo tandem, FELICITATE inquam, potiatur.

HÆC *ſunt*, (O INGENVI ADOLESCENTES *Philoſophiæ Amantiſſimi*) *quæ ex Angelici Præceptoris noſtri Doctrina ad veſtram, cùm vtilitatem, tùm ſtudiorum veſtrorum commoditatem, & facilitatem excerpta ſunt. Si fructum ex opere iſto intentum, finemque propoſitum aſſequamini*, SVPREMO NVMINI *gratias reddite immortales: ſi verò quid minus ſanè dictum, minuſque illibatæ* AQVINATIS *Doctrinæ conſonum, reperiatis, expungendum omninò eſſe cenſete.*

FINIS totius Philoſophiæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX

INDEX RERVM.

A

Bſtractio à Materia 126
Accidens Logicum 36
Actio Categorica 66
Actio, Reactio 286
Actio humana 375
Actio indifferens 381
Æquiuoca 39
Analoga 42
Æquipollentia 92
Alteratio 280
Amor 388
Amplicatio, Alienatio, 78
Angelus 367
mouet cœlum 252
Antepræ dicamentum 39
Antiperiſtaſis 287
Anima quid 308
Quotuplex 310
Potentiæ animæ 313
Appellatio 79
Appetitus rerum cognoſcentium 352
Aquarum impreſſione 304

Ars

Ars 131. *Non facit aurum* 164
Argumentatio 101
Aſtrorum numerus 259
magnitudo 263
Influentiæ ibid.
Auditus quid 334
Augmentatio 318

B

Bonum 357
Summum bonum in quo reuera ſit 378
Bonitas, & malitia actionis humanæ 379

C

Cælum quid, & quotuplex nu. 247. *Empyreum* 257
Calor quid 292
Caſtor, & Pollux 302
Categoria, quid, & quotuplex 37
Cauſa quatruplex 164
Efficiens quotuplex 171
Non eſt immediatè operatiua 173
Cauſa per accidens, fortuna 177. *caſus* 178
Centrum terræ, & mundi idem 270
Certitudo quid 123
Chronologia ab exordio mundi 243
Circulus in demonſtratione 121
Circunſtantiæ humanorum actuum 381
Color quid 331
Cometa 301
Non generatur in cœlo 261
Concurſus Dei 231
Condenſatio 285
Conſequentiarum regulæ generales 109

Con-

Conſcientia 382
Conſtellationes 259
Conuerſio propoſitionum 94
Continuum, & contiguum 210
Corruptio quid 278

D

DEfinitio 84. *Demonſtratio* 119
Denominatiua 49
Deſiderium 389
Deus 361. *Attributa Dei* 364. *& ſeq.*
Dictio in mente 352
Diſpoſitio 63
Differentia 33. *Diſtinctio* 22
Diuiſio 20. *Dubitatio* 131

E

ELementum quid, & quotup. 267. *Qualitates motrices elementorum* 272
Elementum generabile 291
Ens Analogum 48. *Ens, & eſſe* 349
Ens rationes 10. 371
Enthymema 102. *Enunciatio* 87
Eſſentia quid 354. *Euidentia* 123
Ethica, ſeu Moralis Philoſophia 374
Exemplum 102
Exemplar, ſeu Idea 170
Exiſtentia 354
Extenſio qualitatis 283

F

FAllacia 136
Fames 323
Fatum 178

Felicitas 378
Fides 131
Figura Syllog. 104
Finis 179
Fluxus, & Refluxus Maris 305
Fluminum, & fontium Origo ibid.
Forma ſubſtantialis 155
Fortuna 177
Fortitudo 406
Frigus 292
Fulgur, & Fulmen 303

G

GAudium, & Triſtitia 389
Generatio ſubſtantialis 274
Genus 25
Globus Terraqueus 271
Grando 304
Grauia & Leuia à quo mouentur 221
Guſtus quid 336

H

HAbitus qualitas 63
Habitus categ. 67
Habendi modi 70
Humiditas 292

I

IDea 170
Ignes ſubterranei 307
Ignis perpendic.. Lambens, fatuus 302
Ignorantia quid, & quotup. 374
Inceptio, & deſitio rerum 216

Indi-

Indiuiduum 32
Indiuiduationis principium 359
Indiuiſibilia 213
Inductio 102
Infinitum 188
Inſtrumentum 175
Intellectus agens & patiens 343
Intellectus obiectum 344
Intelligibilium ordo 346
Intellectio & ſpecies intelligibilis 349
Intelligentia 131
Interpretatio 71
Intentio prima, & ſecunda 12
Intenſio qualitatum 281
Inuolontarium 384
Ira 391
Iris 303

L

Libertas 357
Libri Logicales 14. Phyſicales 141
Locus Dialecticus 133
Locus quid 193
Logica quid obiectum 9
Lunæ macula, & eclypſis 262
Lux quid 329

M

Materia prima 147
Maxima in Topicis 134
Mel & Manna 304
Memoratiua 337
Memoria intellectiua 349
Metaphyſica quid 349
Metalla, & Mineralia 307

Me-

Meteorum 300
Metus quid 385
Mixtio 228
Mixtum 297
Modus ſciendi 83
Modus Sylogicandi 105
Monſtrum 182
Motus quid 184
Conditiones ad mouendum 220
Motus Reflexus 222. *Motus æternus* 224
Primum mouens 226. *Terræ motus* 307
Motiua Facultas 358
Mores humani 376
Mundus quid, & quotup. 238. *& ſeq.*
Mutatio quotup. 266

N

Natura 161. *Naturæ ſtatus triplex* 19
Negatio 11
Nerui optici 333
Nix 304
Nomen quid 79
Nubes 304
Numerus 53
Nutritio 320

O

Obiectum quid 9
Odium 289
Odoratus, odor 335
Operationes mentis 1/2.351
Opinio 131
Oppoſitio quadrup. 61

Oppo-

Oppoſitio propoſitionis 90
Oratio 82
Oratio de genere quanti 54
Organum cenſus, & obiectum 324

P

PArelij 303
Paſſio Categ. 66
Paſſiones animæ 386
Perpetuitas 23
Perſpicuum 331
Perſona quid 354
Phantaſia 338
Philoſophia 3
Phyſica 139
Pluuia 304
Prædicamentum 38
Præmotio, ſeu prædeterminatio Phyſica 230
Prædicatum per ſe &c. 118
Priuatio 11. *Vt principium* 157
Principium rerum naturalium 143
Prius alio quotup. 79
Problema, & propoſitum dialect. 134
Proiecta quomodo mouentur 222
Propoſitio, 87. *hypotetica*, 88. 97. *Modalis* 94
Proportio, Proportionalitas 42
Proprium 35
Prudentia 398

Q

QVantitas 51. & ſeq.
Qualitas 62. & ſeq.
Quando Categ. 67

Ra-

R

RArefactio	285
Rationalis anima	339
Ratio, & intellectus non diſting.	348
Relatio prædicam.	55. & ſeq.
Remiſſio qualitatis	281
Ros	304

S

SAlſedo maris	306
Sanguis	315
Sapientia quid	131
Scientia, ſcire	122
Semen non viuit	316
Quomodo formatur	323
Senſitiua anima, ſentire ſenſus	324
Senſus interni quot	337
Siccitas	292
Signi variæ acceptiones	71
Simul	70
Situs Categ.	67
Solis Eclypſis 262. *Magnitudo*	263
Sonus	334
Species quid	28
Species intentionalis	325
Spes, & deſperatio	390
Stellarum numerus	259
De nouo non generantur in Cælo	261
Stellæ diſcurrentes	302
Subſtantia	49. & ſeq.
Subſiſtentia	354
Suppoſitio	75
Subalternatio ſcientiarum	124
Suſpicio	131

Syllo-

Syllogiſmus 102
Synderesis 380

T

TActus 336
Temperantia 408
Tempus 200
Temperamentum 298
Tenebræ 333
Terminus logicus 72
Termini Magnit. & Paruitatis 214
Terra non mouetur circul. 252
Timor & Audacia 390. & ſeq.
Totum quotup. 26
Totum Phyſicum 158

V

VAcuum quid 198
Vegetatiua 317
Verbum log. 79
Verbum mentis 350
Verum 357. *Veritas* 361
Ventus 303
Via lactea 162
Violentia 162
Viuentia quomodo ſe moueant 221
Viuere quid 310
Viuens manet idem toto tempore vitæ 321
Viſus 329
Virtus Moralis 394. *Vitium* 398
Vniuerſale quid & quotup. 15
Vnum 357. *Vnitas* 21
Vnio partium in toto phyſico 160
Voluntas 352. *Non intendit Malum* 383
Vox quid 335

FINIS.

Digitized by Google